

Cardinali Bellarmini eruditio, rerum varietas, perspicuitas, methodus; in hoste insequendo, et ad saluberrimam deditionem adigendo constantia; omnes denique Scriptoris dotes in eo genere eximij, ac prærogativæ in eo eximij. Infames tamen nonnullorum Catholicorum scriptiones non evasit. Raynaud.

Robertus Cardinalis Bellarminus

è

Societate Jesu.

Anagramma.

Luteri errores, ac astutias Calvini

omnes

delebis.

Orationes Rethorico-Dogmaticae

Cardi-

M.S. en 4.º acartonado en papel con 123 hojas.

Orationes Rethorico-dogmaticae, habitae in Gimnasio Romano Roberto Bellarmino.

Notitia totulata.

eu evadas, bytz-
debellase: Hoc ut
eludi penar alli-
cum fugisque eralis
eludi ignita janda
In quarum laudes
hic
prodavit Franci-



Horrebis Calvi jurare in verba magistri:
Horrebis cathedram protinus ipse tuam.
Tu quoque, qui Calvum intus et in cute nosse putabas,
Ignotum jurei ante fuisse tibi.

Orationes Rethorice Dogmatice

Horrebis Calvi jurare in verba magistri
Horrebis cathedram proprium ipse tuam.
Tu quoque, qui Calvum inter et in castra ipse fuisti,
Ignorum jurare ante fuisse tibi.

Orationes Rethorico-Dogmaticæ habitæ in Gymnasio Romano a Ven. Roberto Bellarmino, Presbytero Cardinali S. Romanæ Ecclesiæ.

Ratio operis.

Non alia prorsus, quam, ut ad hæreses, quas repellas, dissertis evadas. Hydrea, ut monstra, quæ ex abyssi puteo fuerunt egressa, queam debellare. Haec ut adamussim Ecclesiæ, ex qua mille clypei pendent, ad quam veluti petram allidere valeas, strenuum tibi dux erit Bellarminus. Calvinum præcipue eradicere hujus fructus seminei nosse quibus dummodo has, quas veluti ignita jacula contra eos vibrarit lectiones, cautæ profundius intendas. In quarum laudes illos versus, quos S.D. Nicolaus Romanus in sua effigie Calvini ornavit, hic transcribere libuit.

I, Decas, i, centum digitis larvam abripe Calvo,
Ut pateat teter qui latet ore color.
Non hic Lysippus non hic adhibendus Apelles;
Non pictam, aut fictam quærimus effigiem.
Quærimus astuto latitantia sensa cerebro,
Hactenus occulti quæ nocuere doli.
Ipse tuos igitur profer Calvine, colores:
Nuda deformata viscera pinge manu.
Omnes pande sinus animi, mentisque recessus:
Sic oculis poterit credere quisque suis.
Inspice tu, prisca qui Relligione teneris:
Laudebis Calvi non iniisse viam.
Inspice, qui Calvi imprudens vestigia calcas:
Actutum cupies inde referre pedem.
Inspice, pestifera sessor male sane cathedra:
(Sit modo conspicuo nostra tabella loco)
Horrebis Calvi jurare in verba magistri:
Horrebis cathedram protinus ipse tuam.
Tu quoque, qui Calvum intus et in cute nosse putabas,
Ignotum jurer ante fuisse tibi.



Elogium Martini Lutheri expressum nomine, et cognomine, per Patrem Andream Frusium, è Societate Jesu.

Depinget dignis te nemo coloribus umquam.
Nomen ego, ut potero, sic celebrabo tuum.

Magnicrepus,[1] mendax, morosus, morio,[2] monstrum,
Ambitiosus, atrox, ~~astu~~ astutus, apostata, agaso,[3]
Ridiculus, rector, rabiosus, rabula,[4] raptor,
Tabificus, tumidus, tenebrosus, transfuga, turpis,
Impius, inconstans, impostor, iniquus, ineptus,
Nycticorax, nebulo, nugator, noxa, nefandus,
Ventosus, vanus, vilis, vulpecula, vecors,
Schismaticus, stolidus, seductor, simia, scurra,[5]

Lascivus, leno,[6] larvatus, latro, lanista,[7]
Ventripotens, vultur, vinosus, vappa,[8] voluptas,
Tartareus, torvus, tempestas, ~~turba~~, turbo, tyrannus,
Haeresiarcha, horrendus, hypocrita, hydra, hermaphroditus,
Erro, execrandus, effrons, effrenis, ~~erynni~~ erinnys,[9]
Retrogradus, reprobus, resupinus, rana, rebellis,
Vesanus, varius, veterator, vipera, virus,
Sacrilegus, satanas, sentina, sophista, scelestus.

1. El que hace estruendo. 2
2. Chocarrero. 2
3 ~~[illegible]~~ Arriero. 2
4 abogado, que charla mucho. 2
5 charlatan. 2
6 rufián. 2
7 Maestro de esgrima, ó cardador. 2
8. Hombre vergante. 2
9 Furia del infierno, que quita el juicio à los hombres. 2

1ª Oratio Rethorica, In Disputationes de Controversijs Christianæ fidei adversus huius temporis Hæreticos.

Habita in Gymnasio Romano anno M.D.XXVI.

Aggredior de Controversijs fidei adversus omnes huius temporis hæreticos disputare, et quæstiones plurimas, ac diversissimas in unum quasi locum cogere, et tanquam unius corporis membra, pro viribus, quas Deus è Cælo suppeditare dignabitur, singula quæque complecti. Arduum sanè opus, et certè, mea quidem sententia, ejusmodi, ut si non leviter, et perfunctoriè, sed accuratè, ac ut rei dignitas, et difficultas exigit, tractandum sit: scientiam propè infinitam, non modo variarum disciplinarum, et linguarum, sed etiam totius antiquitatis omnium historiarum, et temporum requirat: Quæ omnia cùm ipse sentiam in me, quàm sint exigua, et tamen onus

mihi impositum sustinere, ac perferre, necesse sit: enitar saltem ingenij tarditatem, labore, ac diligentia compensare: atque id efficere, ut quando cætera omnia doctrinæ præsidia, atque adiumenta nobis desint, studium certè, et industria minimè desideretur.

Sed antequam de propositis quæstionibus disputare incipiam, pauca quædam dicenda mihi esse videntur de utilitate cuiusmodi disputationum: deinde exponendum breviter, quæ sint, et quot huius temporis controversiæ.

Ac utilitas quidem propositarum nobis disputationum ex eo intelligi facilè potest, quod meliorem, ac magis necessariam totius Theologiæ partem comprehendunt. Agendum est enim non de stillicidijs, et fundis, non de rebus lebibus; quæ parum refert, utrum sic an aliter se habeant: non de Metaphysicis subtilitatibus, quæ sine periculo ignorari, et interdum etiam cum laude oppugnari possunt: sed de Deo, de

Christo, de Ecclesia, de Sacramentis, de iustifi-
catione, de auxilio gratiae, de arbitrij liberta-
te, deque alijs permultis gravissimis, et difficil-
limis quaestionibus, quae ad ipsa fidei pertinent fun-
damenta; quorum si vel unum quis labefacta-
re disputando velit, ut Sanctus Augustinus li-
bro primo contra Julianum, capite secundo sa-
pienter monuit, totum quod in Christum credi-
mus, is auferat necesse est. Deinde haereticos
homines, ad lumen fidei revocare, vel saltem
impetum eorum, et furorem frangere, ab ovili
Dominico feras illas arcere, Ecclesiam Christi
protegere, et iam captas oviculas, de faucibus
luporum eruere, et in caulas Domini resti-
tuere; quanta, quaeso, utilitas est, quam ve-
ra causa laetitiae, quam copiosa gloriae seges?
At nihil horum unquam efficiet, qui non pri-
us in his quaestionibus diu, et multum ver-
satus, cum ipse se armis Ecclesiae diligenter
instruxerit, tum hostium tela repellere, atque

Gallia, orbis oculus Raynaud. P. 1a cap. 8. ... ...
... Parthen... ...

in ipsos hostes retorquere didicerit.

Ac ne forte aliquibus minus nostra probetur oratio, quod pestem hæreseos esse iudicent leuiorem, quàm reuera sit, cùm eam ex communibus vitijs, et peccatis forte metiantur, quæ quotidie per Sacramentum pœnitentiæ purgari, sanarique animaduertunt: dicam de grauitate hæreseos non omnia, quæ dici possunt, nec etiam plurima, ne immensam orationem suscipiam, sed pauca tantùm, quæ cùm necessaria esse, tum etiam sufficere hoc loco posse videantur.

Omittam enim quod S. Joannes Chrisostomus homilia ad populum Antiochenum 50. et S. Augustinus cap. 25. lib. 21. de Ciuitate Dei, hæreticum hominem longè peiorem Ethnicis, et Publicanis faciunt: non commemorabo, quod ut procellæ ventorum maria commouere, et perturbare solent? sic hæresis, quam regionem inuaserit, mox

inea tumultus, praelia, seditiones excitat: tacebo, quod maiores nostri, cum in alijs persecutionibus, tranquillo animo hostem expectarent; tamen bello fidei ingruente, ita animis omnes commouebantur, ut non sibi satisfacerent, nisi uniuersae Ecclesiae vires collegerent, et tamquam communi classico euocati, omnes una ad resistendum occurrerent. Alia vitia ut depellerent, nemo de sua statione discedebat: haeresim ut propulsarent, domos, ac prouincias suas deserere, et ignotas, ac longè positas regiones, cum maximo rerum, et vitae discrimine adire non dubitabant. Alia prope infinita libenter patiar, silere, quae me tamen aliqui mediocriter iuvarent. Hoc unum dicam, haeresim peruersitatem tanto [illegible] grauiorem ceteris omnibus sceleribus, atque flagitiis: quanto communibus morbis magis sit formidolosa, et metuenda pestis.

Duo sunt, quae pestem prae ceteris morbis merito horrendam, terribilemque efficiunt: unum quo

Summa velocitate venenum suum ad cor usque diffundit, et hominem paulò antè sanum penè in momento temporis extinguit: Alterum, quòd cùm unum interficit, centum alios inficit, et longè, latèque tam celeriter serpit, ut si hodie domum unam inuaserit, breui ciuitatem totam cadaueribus repleat.

Id ipsum omnino est in animis, hæresis; quod in corporibus, pestis. Primum gratiæ munus, quod à Patre cælesti in conuersione, ac iustificatione recipimus, primus cordis reuiuiscentis motus, primus vitæ spiritualis sensus, absque ulla controversia,+ ad amandum voluntas accenditur, lingua soluitur ad confessionem, manus expediuntur ad opera./ Cùm igitur hæresis cor ipsum animæ continuò petat, et in eripiendis muneribus gratiæ ad primum usque deueniat, et initium illud vitæ diuinæ, atque cælestis extinguat: quæ lues hæresi perniciosior, ac pestilentior cogitari potest?

Primum ædificij spiritualis fundamentum,

\+ et dubitatione, fides est: inde paulatim postea ad sperandum animus excitatur,

omnium confessione, ac sententiâ ~~sententiâ~~ fides est. Inde enim spei parietes paulatim consurgunt, tectum caritatis extenditur, ac demum varia, multiplicia que operum bonorum ornamenta accedunt. Domus Dei, inquit S. Augustinus serm. 22. de verbis Apostoli, credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur, quando igitur in huius aedificij concussione, et motu, non in tecto, non in parietibus sistitur, sed usque ad ultima fundamenta effodienda, accuertenda, quod facit haresis, peruenitur: quanta quæso, est illa ruina? quanta iactura? quid tunc remanet spei, quando nulla pars aedificij reliqua est, sed totum simul uno impetu funditùs corruit? Primus lucis diuinae radius, quem in cordibus nostris ille accendit, qui nos de tenebris vocabit in admirabile lumen suum, quid aliud est quàm fides? inde enim quasi ab aurora incipiens lumen iustorum procedit, et crescit, ut sapiens ait, usque ad perfectam diem.

Cum igitur haeresis menti humanae subito diem eripiat, et ne illum quidem primum auroræ fulgorem accensum relinquat: quid haeresi horribilius, miserius, funestius? Dicam hoc ipso planius. Si Catholicus quispiam labitur in peccatum, si furtum, si adulterium, si homicidium forte committit: misere certè cum illo agitur. At nihil ominus quoniam adhuc aliquis vitæ sensus, adhuc ædificij fundamentum, adhuc lumen auroræ, id est, fides in ipso est; multa, et magna præsidia ad salutem æternam habet, non ambulat in tenebris, novit medicum suum, potest adhuc ex fide, quam habet ad Deum clamare, super fundamentum ædificare, communem liberatorem appellare; + neque deest illi maternus Ecclesiæ sinus, et patent quoque officina omnes spiritualium pharmacorum. At homo hæreticus nihil horum habet, sed extincto in corde ipsius lumine fidei, umbras inanes et phantasmata consectatur; nescit quò vadat,
+ et misericordiam implorare;

et quomagis currit, eò longiùs à via recedit, et tenebris densioribus semper involuitur, donec à tenebris interioribus, quas in animo patitur, ad exteriores illas, quæ sunt in gehenna, perueniat. Neque verò hæc amplificatio est, sed extenuatio potiùs.

An tibi tenebræ densissimæ, atque palpabiles non videntur iis esse offusæ, qui cùm Sapientissimi omnium hominum videri velint, tamen ea dicunt interdum, ea proferunt in medium, ea pro Euangelio venditant, quæ Somnia ac deliramenta esse, pueri quoque, atque anus etiam decrepitæ, intelligerent? quid magis impium, ac stultum fingi potest quàm Deum, qui fons est bonitatis, et iustitiæ, auctorem omnium scelerum, et flagitiorum facere? At hoc facit Petrus Martyr in commentario libri secundi Regum, necnon Joannes Caluinus in lib. Instit. 1. cap. 18. § 1.

Quid magis puerile et ineptum, quàm

dicere Deum in lapide, verè et propriè esse lapidem; in ferro, ferrum, in trunco, truncu; in stipite, stipitem; in rebus omnibus, res omnes? at hoc docet Michael Servetus in epistola sexta ad Caluinum. Quid magis absurdum, et contra omnem non solum rationem, sed etiam sensum; quàm palam asserere, infantes cum baptizantur, exemplo S. Joannis Baptistæ diuinas quasdam motiones internis sensibus percipere, promissiones Euangelicas audire, et promittenti Deo fidem habere? At hoc palam asserit Martinus Lutherus in commentario tertij capitis epistolæ ad Galatas, et qui eum secuti sunt Centuriatores, Centuria. 2. cap. 1. nec saltem reuerentur S. Augustinum, qui in epist. ad Dardanum, quæst. 2. scriptum reliquit; si propter unū Joannem credibile est infantes omnes ante ætatem consilio, et ratione uti: et

propter Asinam Balaam, quæ sapienter aliquando loquuta est, admonendo esse homines, in deliberationibus suis Asinina expectare consilia.

Deinde, quis non obstupescat potuisse homines reperiri, qui sibi persuaderent, nihil aliud ad iustificationem impiorum requiri, quàm ut certò statuant se esse iustos, sibi remissa esse peccata, ut iam non opinio, à veritate rei; sed è contrario, rei veritas ab opinione dependeat; et tamen hoc ipsum incredibile paradoxum, est articulus quartus illius celeberrimæ Augustanæ confessionis, quæ pro Euangelio, est maxime parti nostri temporis hæreticorum.

Quid iam de Joanne Viclefo dicemus, cuius hic est articulus sextus, in Concilio Constantiensi damnatus, sess. 8. Deus debet obedire Diabolo? quid de Joanne Caluino, qui in lib. Institutionis 2. cap. 16. tam seriò, tam ex proposito docet, Dominum nostrum Jesum Christum, quod certè piæ aures audire recusant, cruciatus gehennæ cum damnatis, ac reprobis spiritibus aliquando pertulisse? unde etiam extite-

runt postea qui dicerent, Christum in Cruce desperasse, atque adeo ad inferos esse damnatum. Quàm tetra, putas, caligine tenebatur animus ille, qui tantam impietatem cogitare potuit?

Sed quo in loco ponemus Martini Lutheri verba illa, quæ is in libro de concilijs scripta reliquit: Mihi paulò antè negotium fuit cum Nestorianis, qui pertinacissimè contra me disputabant, quod diuinitas Christi non possit pati?

En tibi, Christiane Lector, quibus non tam erroribus laborant, quàm furoribus agitantur, quibus tenebris involuuntur, in quæ præcipitia ruunt, qui semel circa fidem naufragium fecerunt: Nec tamen attingere volui mysteria longè absurdiora Anabaptistarum, et Libertinorum. En quanto miraculo diuisit Deus Israelem ab Ægyptijs, ubi Israel, id est, Catholica Christi Ecclesia est, ibi lux est, ut omnes omnino à maximo usque ad mini-

num viam iustitiæ, et veritatis agnoscant: ubi vero Ægyptij, id est, hæretici sunt, ibi tenebræ sunt horrendæ, atque palpabiles, ut etiam in ipsos humanos sensus frequenter incurrant.

Atque utinam soli sibi noceret hæreticus, et non continuò venenum suum longè, latèque diffunderet, seu verissimè scriptum ab Apostolo esse, hæreticorum verba, ut cancrum serpere; testis est locupletissimus nostra hæc ætas. Quis enim ignorat pestem Lutheranam Saxoniâ paulò ante exortam, mox Germaniam penè totam occupasse: inde ad Aquilonem, et Orientem profectam; Daniam, Norvegiam, Sueciam, Gotthiam, Pannoniam, Hungariam absumpsisse: tum ad Occidentem, et Atexi diem pari celeritate delatam, et Galliam, Angliam, Scotiam, florentissima quondam regna, brevi tempore populatam ad extremum alpes transcendisse, et in Italiam usque penetrasse?

9

Quae cum ita sint, ut ij, qui peste labo-
rant, ne caeteros inficiant, ab aliorum con-
sortio meritò excluduntur, et neque domos
illorum ingredi, neque aliquid, quod ipso-
rum fuerit, contingere audemus: sic etiam
haereticorum libros, congressus colloquiá,
conuiuia, iam inde à primo Ecclesiae ortu,
Sapientissimo consilio, fidelibus omnibus ma-
iorum nostrorum auctoritas interdixit.
Nulla inquit S. Cyprianus, in epist. 3. lib.
1) cum talibus comercia copulentur, nulla
conuivia, vel colloquia misceantur; simus-
que ab eis tam separati, quàm sunt illi de
Ecclesiá profugi. Et S. Leo sermone de Pas-
sione Domini 18. Vipereà, inquit, haereticorum
vitate colloquiá, nihil nobis commune sit
cum eis, qui Catholicae aduersantes fidei,
solo sunt nomine Christiani. Beatus quoque
Athanasius in vita Magni Antonij: Sic, in-
quit, haereticos detestabatur Antonius, ut

omnibus diceret, nec juxta eos quidem esse accedendum. Quid, quod Apostolus Paulus tam sæpe, et tam serio, de hæreticis loquens, illud inculcat; Et hos devita? et S. Joannes Apostolus, et Evangelista, ut cap. 3. lib. 3. contra Valentinum auctor est Irenæus, cum balneum aliquando esset ingressus, mox, ut Cherintum hæreticum intus esse cognovit, de balneo exiliit non lotus; nimirum exemplo suo posteros omnes admonere volens, hæresim morbum esse contagiosum, totisque viribus, et summa animi provisione cavendum.

Intellexit hoc sanè quondam Ariana peste grassante, Ecclesia Samosatensis; nam ut est apud Theodoretum lib. 4. histor. cap. 14. cùm esset in ea civitate populus catholicus, et Episcopus hæreticus, concionabatur Episcopus in Ecclesia, sed scamnis, et parietibus omnes eum ut peste laborantem fugiebant. Ibat Epis-

corpus ad balnea, et alios qui forte aderant, ut secum lavarent, comiter invitabat: at nemo unquam ipso praesente locum introivit; nemo etiam postea, nisi prius aqua omni eiecta, et nova rursum adduta, lavit: ludebant aliquando pueri in foro, contigit vero, ut lusoria pila pedem contingeret iumenti, quo ejus corpus vehebatur, continuo exclamant omnes, et magno in ipso foro accenso igne, in eum pilam conijciunt.

Talis erat veterum Christianorum zelus, talis pro pietate contentio, talis fidei Catholicae ardor, quem si Germania, si Boemia, si Anglia, si Gallia, si populi caeteri imitari voluissent, aliam profecto Rempub. haberemus, si ad haeresim arcendam ea saltem diligentia initio adhibita fuisset, quam ad pestem excludendam ubique adhiberi videmus: multa certè Ecclesiae membra, quorum iam propè est desperata salus, adhuc integra

et incorrupta manerent. Sed quando, peccatis nostris exigentibus, pestis hæreseos tam vehementer crevit, et crescit in dies, et res nostræ in tam magnum atque apertum discrimen adductæ sunt, ut non nisi longo tempore, et multis multorum laboribus et sudoribus, tantis malis remedium afferri possit: hoc unum superest, ut Ecclesiæ filij, atque ij præsertim, qui ad alios iuvandos à Domino vocati sunt, ad resistendum hæreticis diligenter se parent. Quod ita fiet, si in ijs cognoscendis, quæ tum illi contra Ecclesiam afferunt, tum pro Ecclesiâ nostri respondent, satis magnam curam operamque; ponant: quorum studijs hos nostros qualescunque labores, aliquid etiam prodesse vehementer optamus, et profuturos Domino adiuvante confidimus. Atque hæc sunt quæ de utilitate nostrarum disputationum dicenda esse putavimus.

Nunc paucis exponam, quæ sint, et quot ea controversia, quas explicaturi sumus. Humani generis hostis et si totus alioqui perversus et ordinis perturbator esse soleat, tamen non sine quodam ordine catholicæ Ecclesiæ veritatem oppugnare voluit. Itaque primis CC. annis ab Ecclesiæ Christianæ exortu, totus fuit in ipso primo articulo Apostolici Simboli labefactando occupatus. Quid enim aliud volebant Simoniani, Menandriani, Basilidiani, Valentiniste, Marcioniste, Manichæi, et universa schola Gnosticorum, quàm non esse unum Deum, Patrem omnipotentem, Creatorem cæli et terræ? Ubi verò id non successit, rursus tempore consequente post annum Domini CC. nova castra Diabolus instruxit, et articulum secundum, quo Christi Domini nostri divinitas explicatur, expetitare aggressus est in-

P
re enim · ταχεῖαν, Noetus ac Sabellius, necnon Paulus Samosatenus.

Post annum verò CCC. Photinus, Arius et Eunomius exstiterunt: qui vel Christi divinam personam à Patris persona non distinguebant, atque eam proinde, ut Hilarius loquitur, perimebant; vel divinam eius naturam diversam atque alienam à Patris natura faciebant, et ea ratione non verè divinam, sed creatam esse disputabant. At cùm ne tunc quidem adversus Ecclesiam portæ inferi prævalere potuissent, tertiò Diabolus novo delectu habito, articulum tertium et simul quartum, quintum, sextum, et septimum, quoniam inter se connexionem quamdam et quasi cognationem habent, maiori conatu et vi [...] pugnare instituit.

Itaque Nestorium excitavit [...]



Nestorium Mopsuestenum, post annum CCCC. Deinde paulo post, Eutychem, et Dioscorum; circa vero annum quinquagentesimum, Petrum Gnapheum, Severum Antiochenum, Julium Halicarnasseum. Post annum autem DC, et DCC. Jacobum Syrum, Cirum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum, ac Paulum Constantinopolitanos: denique omnem illam innumerabilem Eutychetis in minutissimas sectas varie concisam ac dissectam posteritatem, cuius adhuc hodie germina in Oriente reperiuntur.

Isti siquidem omnes, diversis quidem, atque inter se contrarijs artibus, et machinis; sed tamen unum, et idem divinae Incarnationis mysterium, nec non passionis, resurrectionis, atque adventus ad iudicium; id est, quinque sequentes Symboli Apostolici partes destruere atque evertere studuerunt. Priores enim, quas in Christo

personas constituentes, diuinam unam, hu
manam alteram, et Christum Deum ab ho
mine Christo separantes, solum hominem,
non etiam Deum esse volebant eum, qui
conceptus de Spiritu Sancto, natus ex Maria
Virgine, passus, mortuus, et sepultus, ac deinde
rediuiuus in Celum ascendisse, et rursum
ad iudicandum orbem terrarum reuer-
surus, ab Ecclesia Catholica predicatur.
Posteriores autem, naturas ipsas, diuinas
et humanam in Christo permiscentes, et
unam constantes ex duabus, mysteria
Salutis nostrae, incarnationem, passio-
nem, resurrectionem, ascensionem, aduen-
tum ad iudicium, ficta et simulata es-
se docebant.

Sed posteaquam de his etiam copijs
Ecclesia Catholica more solito triumphauit,
non propterea deterritus Diabolus est, sed
rursum exercitum reparauit, et articulis

sequentem, id est, octavum, qui est Spiritu Sancto, magno impetu labefactare adorsus est. Nam circa annum Domini DCCCLX. temporibus Nicolai Primi Romani Pontificis exortum est (ut ego quidem arbitror, quamvis alij aliter sentiant) schisma Graecorum, ab Apostolica Sede, et Ecclesijs Occidentis: cuius quidem schismatis fundamentum est terror ille Graecorum in tot concilijs confutatus, quo Spiritum Sanctum à Filio non procedere, pertinacissimè contendunt. Tametsi enim multò ante Macedonius Spiritum Sanctum + à Filio procedere negauit: adeò tamen eo tempore in ipsa Christi vera Diuinitate, atque humanitate oppugnanda Satanas occupabatur, ut articulus fidei, qui ad Spiritum Sanctum pertinet, ac potissimum eam partem, quae de processione est à Patre, et Filio, non nisi leuiter

+ Deum esse, et theodoretus eumdem Spiritum Sanctum

tentasse.

Verum enim verò, cùm versutissimus hostis noster animaduerteret, parum se in articulis illis conuellendis proficere, qui ad ipsas diuinas personas pertinerent, totum se ad eos commouendos, et destruendos conuertit, qui ad Ecclesiam, et Sacramenta pertinent. Hos duos articulos; Credo sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem, Remissionem peccatorum, ab anno millesimo, usque ad hanc diem, sepius mutatis, auctis, renouatis, ex citibus, per Berengarianos, Petrobrusianos, Valdenses, Albigenses, Vviclefistas, Hussitas, Lutheranos, Zuinglianos, Confessionistas, et Anabaptistas, omni arte, atque industriá, et omnibus totius infernú viribus euertere conatus est, et adhuc hodie conatur.

Illud autem mirabile et animad-
uersione dignum mihi videri solet, quod
Berengarius tanquam auctor et parens
hæreticorum huius temporis, tribus suis
erroribus fundamenta iecerit trium præcipua-
rum sectarum, ad quas hoc tempore ceteræ om-
nes reuocari possunt; Sacramentariorum vide-
licet, Confessionistarum, Anabaptistarum. Pri-
mus enim Berengarij error fuit, non esse in
Eucharistiâ verum Christi corpus, sed tantum
eâ significari. Hunc errorem tanquam suum
et proprium Sacramentarij receperunt; Alter
eiusdem fuit error, quem post secundam palino-
diam excogitauit, esse quidem in Eucharistiâ
verum Christi corpus, sed unà cum substan-
tiâ panis, atque hunc suum fecit Confessio
Augustana, et in eo Confessionistæ omnes perseue-
rant. Tertius eiusdem Berengarij error fuit,
paruulos non esse baptizandos, nec Matrimonia cele-
da, cùm ômnes feminæ omnibus masculis sint

communes, ut Guitmundus libros. contra Berengarium auctor est, ista vero ipsissima est Anabaptistarum fides et doctrina.

Cum igitur hæreses huius temporis proprie circa hos duos articulos Symboli Apostolici nonum, et decimum fere omnes versentur, nos etiam controversias omnes ad eosdem duos articulos referemus. Initio igitur de Sancta Ecclesia disseremus: in qua disputatione agendum erit primum de ipso Christo, qui caput est, et princeps Ecclesiæ universæ: deinde de parte Ecclesiæ, quæ laborat in terris, necnon de capite eius visibili Summo Pontifice, deque omnibus eius membris, id est, Clericis, Monachis, Laicis; tum de altera parte Ecclesiæ, quæ in locis Purgatorijs expiatur: postremo de illa, quæ iam cum Christo beata in Cœlis triumphat, ubi de cultu et invocatione Sanctorum, de reliquijs, et imaginibus, alijsque similibus rebus disputabitur. Quibus expeditis ad Sanctorum communionem,

id est, ad Sacramentorum tractationem accedemus, ubi tot erunt capita controversiarum, quot sunt Sacramenta.

Nam quidquid ferè Theologi de Sacramentis affirmant, id totum hæretici huius temporis negant. Sequitur postremò, remissio peccatorum, ad quam illæ quæstiones omnes pertinebunt, quæ sunt de gratia primi hominis, de gratiæ amissione, de vulneribus ex peccato relictis, de gratiæ reparatione, de libero arbitrio, de iustificatione, & meritis operum bonorum.

Porrò his omnibus quæstionibus præmittenda erit, quasi magnum quoddam proœmium controuersia de uerbo Dei. Neque enim disputari potest, nisi prius in aliquo communi principio cum aduersarijs conueniamus: conuenit autem inter nos, et omnes omninò hæreticos, verbum Dei esse regulam fidei; ex qua de dogmatibus iudicandum sit: esse commune principium ab omnibus concessum,

unde argumenta ducantur: denique esse gladium spiritualem, qui in hoc certamine recusari non possit. Tamen de isto ipso communi principio multæ quæstiones sunt. Alij enim verbum Dei solum internum recipiunt; alij externum, sed scriptum; alij partim scriptum, partim voce traditum. Rursum alij hos libros, alij illos pro verbo Dei habent: alij hac editione, alij illa utendum censent: alij Scripturam clarissimam esse per se, alij obscuram, et interprete indigere contendunt: denique alij sensum Scripturarum à Spiritu interno revelante, alij ab Ecclesia, eiusque Summo Pastore petendum docent; quæ omnes quæstiones initio exponi debent; ut habeamus aliquid, unde de cæteris statuamus, sed hæc omnia index totius Operis plenius explicabit.

Finis.

S. Nazianz. in Basilij encomio affirmat visos sibi videri qui probitate dur[illegible] pollerent, [illegible] reant.

Divinum consilium suspicit Gregor. Nyssenus in longa Dei patientia erga impium ... in quo erudit pium, qui a Deo ... exercitatus factus Deo velut incus ad formandos alios. —

Epistola Pauli fuerunt salutis vectia; lingua, Crucifixi tuba; plaga, universi orbis medela; sudaria, falces morborum. S. Proclus orat. ... est Pauli encomium.

Medicina scientia rebus omnibus, quae in vita magnifiunt, antecellit. S. Gregorius Nyssenus. —

[illegible]

S. Ephr[illegible] de Vita ... cap. ...

[illegible]

Sermo brevis, asper, et rigidus cum faminis est habendus.

[illegible]

Tempora mala faciunt homines mali. S. Augu[illegible]

Desci bit naure ... S. ... tempo[illegible]

1508. viv. comburium quo Berna ... adhuc ea Urbs in ... de catholica ... Dominicani qui ... ob co... contra ... maculata ... Conceptione miracula ... grarunt. —

Joannes Clarius, nobilis in Academia Lovaniensi quondam theologiae Doctor, cum celeberrimus ... Concionator ... mendam effundere — Humbertus Ordinis P.P. Praedicatorum Generalis, oportet inquit, ut Religio ... adhoc in sua puritate servetur. Ubi nulla est ... mario est impuritas multa. —

Flos à nocere ... dicitur. S. Isidorus lib. Ethimolog. —

[illegible]

2ª. Oratio Rethorica de Duplici genere hostium Diuinitatis Christi.

De Ecclesia uniuersa, quæ in terris, in purgatorio, et in cælis est disputaturus, à Christo summo capite ac principe Ecclesiæ totius, initium faciendum esse duxi. Id enim ordo rerum tractandarum postulare uidetur: tametsi non ignorem, à re omnium grauissima et difficillima principium me ducere. Nam, ut omittam rei ipsius de qua nunc agendum est, præstantiam et magnitudinem, quæ tantum rebus omnibus, quas deinde tractaturi sumus, antecellit; quantum Ecclesiæ catholicæ splendor et amplitudo ab immensa diuini numinis luce et maiestate superatur: Genus certè hostium tam uarium ac multiplex in hac concertatione nobis occurrit, ut cum eo reliqui aduersarij nulla ex parte conferri posse uideantur. Siquidem in alijs Controuersijs quasi prælijs utrinque

indictis et proclamatis, hostes semper habebimus certos notos, à fronte pugnantes, proprij Ducis insignia praeferentes.

Jam verò in hac summa, quae de Christo ipso instituitur, disceptatione, res nobis futura est cum exercitibus duobus, quorum alter ex ijs constat, qui se id, quod sunt, hostes atque adversarios esse, et signa conferre, atque aperto Marte pugnare profitentur; alter est longè maior, ex proditoribus et insidiatoribus comparatus; qui partim Symbolis, ac nominibus ementitis in castris nostris contra nos armantur; partim in insidijs absconditi delitescunt, ut in medio ardore praelij nos circumveniant, atque à tergo et lateribus adoriantur.

Et quoniam non parum ad victoriam refert insidias detegere, latebras aperire, ab amicis inimicos secernere, omnium denique hostium copias in conspectu habere

ōi ex a pretium esse duxi, antequam ad ipsam dimicationem veniamus, castra hostium lustrare, præcipuorum Ducum nomina recognoscere, atque ad eos, si fieri poterit, eos omnes reijcere, qui castris nobiscum, animo cum aduersarijs iuncti, sic in hostes tela conijcere videntur, ut nos interim feriant, et mira arte, quæ pro nobis sumpserant, ea arma in nos arma conuertant.

Ordiamur igitur, si placet, ab ijs, qui Imperatoris nostri Christi Diuinitatem et Maiestatem oppugnant, et infelicissimo errore non se putant ad unici Patris gloriam, ut eleganter Augustinus ait, nisi per unici filij contumeliam peruenire. In his castris duo sunt agmina, et quasi cornua præcipua.

Primi agminis Dux atque Imperator est Michael Seruetus Hispanus, is cùm esset iuuenis ferox atque audax, et in

Scholis Lutheranorum, quibus operam dabat, identidem repeti audiret, Verbum Dei non esse Patrum aut Ecclesiae explicationi, sed Spiritus solius testimonio atque iudicio alligatum, coepit et ipse spiritum iactare, et ex spiritu admonente admirari, cur Lutherani cum Papistis de Ecclesia et Sacramentis tantopere contenderent, de Christo ipso litem nullam haberent, atque ita cum dissentirent de corpore, de capite convenirent. Maiora igitur moliri meditans, ac metuens ne aetas sibi ad faciendam fidem non parum obesset, annorum, quippe erat solum quinque et viginti, quod aetati videbatur deesse, prophetici nominis auctoritate et maiestate compensavit.

Itaque maxima tetri spiritus ubertate perfusus, summum se orbis terrae Prophetam nominavit, cuius appellationis testem habemus Calvinum in lib. 1. Instit. cap. 16. Hinc vero prophetica libertate assumpta, libros illos eodem

Spiritu aspirante effudit, quos inscripsit, De erroribus Trinitatis, quorum librorum summa haec est, nullam esse in Deo distinctionem personalem, et Christum Dei Filium appellari, quod ex ipsa Dei substantia caro eius in utero Virginis concepta, et conformata sit: ita paucissimis verbis, et personarum Trinitatem destruxit cum Sabellio, et Christi naturas confudit, atque Incarnationem sustulit cum Eutychete.

Exitum vero si quis requirat, talem Servetus invenit, qualem eius impietas, et scelera postulabant. Nam in media Genevensium urbe igni traditus, non constanter atque alacriter, ut sancti olim Martires solebant, sed tam iniquo atque impatienti animo supplicium pertulit, ut, Calvino ipso teste, qui historiam mortis eius conscripsit, magnis clamoribus, sive, ut ipse ait, magno boatu gloriam flagitaret. Sed cum in iudices plane

inexorabiles incidisset, tandem aliquando est longissimo illo acerbissimoque dolore consumptus, Anno M. D L V.

Hunc ducem et principem sequuti sunt Georgius Blandrata, Paulus Alciatus, Lelius Sozinus, Franciscus David, et omnis illa Ministrorum colluuies, quae nunc in Transyluania erroris sui sedem constituit, et Ecclesiarum consentientium titulum sibi assumit, quae quidem et publicis Disputationibus, et libris etiam editis, omnes veteres Patres, omnia que antiqua Concilia, et ipsum orbem terrarum, qui per annos M. D. L XXX. tres in Deo personas, duas in Christo naturas credidit. Tritheismi damnare, Sophistices accusare, atque ad Antichristum reijcere impudentissime audet.

Alterius agminis Princeps est Valentinus Gentilis Italus. Hic primum stu-

dio rerum nouarum ex patria sua Consentia Geneuam ad Caluinum venit, fama Caluinianae eruditionis, ut ipse dicebat, imprimis permotus, sed nondum inter discipulos, atque auditores se numerari passus est: cum enim et ipse spiritu abundaret, et aequè ac Seruetus molestè ferret, quod Ecclesia reformata adhuc in fide Trinitatis cum Papistis conuenirent, nec tamen Serueti discipulus dici, aut spiritus suum spiritui eius subijcere dignaretur, nouam excogitauit sententiam, quae et cum Seruetiana non consentiret, et tamen penitus à Catholica discreparet.

Itaque asseruit, veram esse in Deo non modò personarum, sed etiam naturarum Trinitatem, sic ut tres sint diuini ac sempiterni Spiritus, essentiali numero differentes. Quae sententia Philoponi quondam fuisse dicitur, si vera sunt, quae de eius erroribus Suidas et Nicephorus scripta reliquerunt.

Cum igitur lapidem primum Valentinus offendit, sed cum animadverteret hanc Dei Trinitatem, non posse ex Divinis literis ullo ratione defendi, cum nihil in Scripturis frequentius inculcetur, ac repetatur, quam unum et solum esse Deum, extra quem, praeter quem, ante quem, post quem, cum quo nullus omnino sit alius Deus; mutata sententia, paulatim ad Ariasnismum ellapsus est. Nam; ut ex varijs Confessionibus et Prothesibus eius, quae in manibus sunt, cognosci potest, Dei Patris proprium esse statuit, ut unus et solus appelletur Deus, eumque solum esse illum summum atque altissimum Deum, quem nobis passim Sacrae literae praedicant. Atque hunc eundem solum Patrem esse ipsam veram essentiam, et naturam Divinitatis. Porrò Filium et Spiritum Sanctum non esse essentiam divinam, sed essentiae proles, et proles ipsa essentia longè inferiores, atque, ut ipse loquitur, pro modulo ge

neratianis, vel propagationis definitas, at que circumscriptas.

Cùm igitur ille Geneuæ ab insano illo spiritu impulsus, in renouando Arianismo occupatus esset, interim ab alio spiritu Caluinus agitur, ut se Valentino opponat, sic inter se dæmonibus colludentibus. Valentinus fit reus hæreseos apud tribunal hæretici magistratus, ubi metuens Valentinus Caluini seueritatem, et ad memoriam reuocans incendium illud formidolosum, quo in eadem Vrbe, eodem auctore Caluino, Seruetus paulò antè perierat, ut tempori seruiret, errorem se suum agnoscere simulauit. Itaque ex sententiâ Judicum ad pœnitentiam publicam damnatus, depositis vestibus, solo excepto indusio, nudis pedibus, et tecto capite, facem accensam manu gestans, præeunte præcone, totam urbem sic obiuit: deinde à Magistratu supplex veniam petijt, librum ipse suum in ignem abiecit,

ac iure iurando promisit, non abiturum se Geneva, nisi priùs à magistratu veniam impetraret.

Sed praeclarus iste Apostolus Arianus, postquam tam insigni palinodiâ et inconstantia renascentem Arianismum decoraverat, voluit etiam eundem ornare periurio. Quare Geneva clanculùm se proripuit, et cùm apud Gallos, Helvetios, Polonos, aliasque gentes Arianismum suum propagare conatus esset, et se primum periurium, alterum, ac tertium addidisset, tandem anno undecimo à morte Serveti, apud Bernam Helvetiorum à Zuinglianis comprehensus, et capitis damnatus, meritas suae temeritatis poenas dedit, qui tamet si, dum in vinculis et carcere servabatur, se Martyrem primum suae sectae esse iactaret, ac diceret, Martyres caeteros pro Christi gloria mortuos, se autem primum omnium pro eminentiâ Dei Patris mortem oppetere, tamen, ubi

nuntium mortis accepit, ita expauit atque expalluit, ut omnes omnino aditus supplicij euadendi quaesierit, paratus etiam doctrinam suam contemnere, si iudicum animos inflectere potuisset. Extant acta publica Geneuensium in causa Valentini, nec non integra historia de supplicio eiusdem à Bernensi Pastore conscripta. Ex quibus haec pauca, quae sunt commemorata, collegimus.

Neque verò faciliorem exitum sortiti sunt Gentilis Summista, atque Collega Mattheus Gribaldus, Franciscus Lismaninus, atque alij, de quibus multa Theodorus Beza, praefatione ad librum Caluini aduersus Gentilem. Siquidem Gribaldus peste correptus, atque ab omnibus desertus, ut canis interijt. Lismaninus Apostata Franciscanus, in puteum semet praecipitem dedit. Franciscus David in vinculis agens, et in amentiam ac furorem versus, ex hac vita migrauit.

Unus est Jacobus Palæologus, qui singulari Dei benignitate, anno M.D.LXXXIII. in Urbe Roma, post multas disputationes et colloquia, tandem ad sanitatem rediit, et omnibus erroribus publicè reuocatis, Ecclesiæ Dei reconciliatus est. Reliqui parentis sui Arij probrosam mortem imitati, infelicissimè perierunt.

Porrò genus hoc hominum tam apertè, tam liberè, tam audacter, tam impudenter Arianismum, vel eo peiorem Paulianismum, renouat, ut ipse Gentilis trium personarum eiusdem essentiæ Trinitatem, novum idolum, turrim Babel, Deum fictitium ac Sophisticum appellare non dubitauerit. Gregorius Paulus unam Dei essentiam, siue unum Deum in tribus personis, Satanæ Stratagemata esse dixerit: Michael Seruetus (quod certè horret, animus cogitare) Cerberum tricipitem, et

tricorporem Gerionem sacrosanctam Trinitatem appellauerit; Gregorius Niger Symbolum Athanasij, Satanasij Symbolum appellandum censuerit; In publico collegio Vlei[illegible] habito, Poloni Antinitari Nicaenum Concilium improbauerint; Athanasium, Augustinum, aliosque Patres Catholicos repudiauerint; Constantinum, Gratianum, Theodosium, pios Imperatores, vituperauerint; et contra dolore se dixerunt propter casum Arij discipulorum in eodem Concilio damnatorum, ac demum amplissimè laudauerint tam ipsum Arium, discipulosque eius, quàm Constantinum Caesarem fautorem Arianorum: Denique Franciscus David (ut ex epistola Blandrata refertur in confutatione iudicij Polonicarum Ecclesiarum) eò usque progressus fuerit, ut diceret, sepeliendum esse Euangelium, et reuertendum ad Mosem, ad te-

gem, et ad Circumcisionem: Moysem et Moysis doctrinam esse lineam rectam; Christum autem Jesum, et eius Doctrinam indirectam. Neque voce solùm et scriptis, sed etiam depictis tabellis fidem suam toti orbi terrarum testatam esse voluerunt.

Prodijt enim nuper tabulla ex ipsorum officina, in qua Ecclesia Catholica instar magni ædificij depicta cernitur, in cuius tecto Lutherus sedet cum suis, tegulasque; et lateres longè proijcit. Inde nudato iam tecto, Zuinglius cum cohorte Sacramentariorum parietes magna vi demoliri pergit: sed ad fundamentum euersum, atque adeò domum totam funditus euertendam ipsi Tritheistæ, novique; Ariani armati malleis, et ligonibus, omnique genere ferramentorum diligenter incumbunt, obliti videlicet Euangelicam illam, atque fidelissimam Christi vocem: Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ in-

feri non praeualebunt aduersus eam. Sed de prioribus hostium copijs satis multa, ni fallor, dicta sunt.

Veniamus ad posteriores. Rem magnam, ac penè incredibilem dicturus sum, sed nolo mihi prius fidem haberi, quàm rem totam solis luce clariorem effecero. Conspirant hoc tempore undique Lutherani, Brentiani, Melanchthonici, Zuingliani, Caluinistae aduersus Tritheistas; per omnem Germaniam, Galliam, Poloniam, libri volitant contra Seruetum, contra Gentilem, contra Blandratam, contra Gregorium Paulum, contra Ministros in Polonia atque Hungaria, vel Arianos, vel Samosatenos; nouam hanc doctrinam, quasi signum quoddam in medio propositum confodiunt telis librorum suorum. Ex Geneua, Caluinus et Beza; Ex Vittemberga, Philippus Melanchthon; Ex Tiguro, Simlerus ac Bullingerus: Ex Berna, Benedic

tus Aretius; Ex Lipsia, Alexander Alesius; Ex Marpurgo, Andreas Hyperius; Ex Polonia, Stanislaus Sarnicius; Ex Hungaria, Petrus Melius. Alijs ex locis Joannes Vigandus, Jacobus Scheckius, Franciscus Stancarus, et quis non? Atque hi omnes cum Papistis de Trinitate sentire, se ex prima Concilia venerari, veteres ea[illegible] cum honore recipere, Sabellium, Samosatenum, Arium, Nestorium, Eutychetem, omnesque haereticos detestari se dicunt. Quis igitur non mirabitur, si tam istos, quam eos, quos ipsi pro magistris, et quasi Prophetis colunt, Erasmum, ac Lutherum, vel Arianos, vel Sabellianos, vel Nestorianos, vel Eutychianos fuisse, demonstrare potuero?

Incipiamus ab Erasmo, quem Hungarici Ministri, in eo libro quem anno M.D.LXVII. Joanni Regi obtulerunt, praecursorem prophetae sui Serueti non sine

causa nominauerunt. Erasmus igitur in Scholiis Tomi III. epistolarum S. Hieronymi, Arianos dicit non tam hæresim docuisse, quam schismata fecisse, cum essent illi nostris numero ferè pares, eloquentia, doctrinaque superiores. En patronum egregium Arianorum, qui ab hæresi illos vindicat, et doctiores Catholicis facit: quid restabat aliud, nisi ut Arianos Catholicos, et Catholicos hæreticos diceret: S[...] p[...] rogamus ad alia.

Præfatione in libros Hilarij: Audemus (inquit Erasmus) Spiritum Sanctum appellare Deum, quod veteres ausi non sunt. O mendacium incredibile; Nonne Hilarius, ipse, in quem præfaris, ad fidem librorum de trinitate, Spiritum Sanctum rem creatam esse negat! et si res creata non est, quid aliud quæso, quàm Deus est? Nonne Athanasius in Disputatione cum Ario; Basilius libro de Spiritu Sancto,

cap. 16. Nazianzenus oratione in Arianos; Dydimus in primo de Spiritu Sancto: Ambrosius lib. 2. de Spiritu Sancto, cap. 2. Augustinus lib. 1. contra Maximinum: Nyssenus in libro quòd Spiritus Sanctus sit Deus, et ceteri Patres omnes, et clarissimè, et frequentissimè Spiritum Sanctum Deum nominant? Sed cetera videamus.

Annotatione in illud Rom. 9. Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Mirum est quid non agat Erasmus, quò se non vertat, quid non moliatur, ut hoc telum de manibus nobis extorqueat. Primùm vocem (Deus) suppostitiam vult videri. Deinde ait hunc locum non esse efficacem ad revincendum Arianos. Denique sic optimè exponi posse docet, ut post illa verba: Ex quibus est Christus secundum carnem; interposito puncto sequatur actio gratiarum, super

omnia Deus, videlicet Pater, sit benedictus in secula. An poterat manifestius Arianam causam suscipere defendendam?

Annotatione in illud Ephes. 5. in regno Christi et Dei; Verum, inquit, id alias admonuimus, Patrem ex consuetudine sermonis Apostolici significari, quoties Deus absolute nominatur. At hoc cum faveat Arianis plurimum, tum est falsum apertissime. Certe enim, ut alia interim loca praeteream, Act. 20. cum dictum sit: Regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo, non Patrem, sed Filium Deum absolute vocat.

Annotatione item ad illud Philippens. 2. Non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo: Primum cum Maximino Ariano exponit non usurpavit sibi cum Deo aequalitatem: Deinde addit: Scio magnos auctores, Hilarium, Augustinum, ut ceteros taceam, sic interpretari. Non rapinam arbitratus est, quod esset aequalis Deo: Nam quod erat natura, non potuit esse

rapina: cum esset in forma Dei, hoc est, cùm verè esset Deus; atque hanc praecipuam haberi clauam, quâ conficiantur Ariani, qui solum Patrem verè volunt esse Deum: At qui, si veris agere fas est, quid magni tribuit Paulus Christo, si cùm Deus esset natura, intellexit id non esse rapina, hoc est, nouit se ipsum? illud autem compertum est, nusquam maiorem vim fieri Scripturis sacris, quàm ubi cum haereticis agentes nihil non detorquemus ad victoriam, tametsi non video quid hic locus propriè faciat aduersus Arianos. Quaeso te, Erasme, si mercedem ab Arianis accepisses, poteras ne diligentius caussam illorum agere? Augustini Catholicam explicationem refellis, Maximini Arianam amplecteris. Hunc locum praecipuam esse clauam Catholicorum contra Arium non negas, et tamen hanc ipsam clauam nihil valere dicis, quid ergo restat, ut dicas, nisi meliorem esse caussam Aria

noxuit, quàm Catholicorum? Quid situam illam Annotationem his addamus, quam fecisti ad postremum caput epistolæ primæ Sancti Joannis? nonne eo loco totis viribus contendis verba Domini: Ego et Pater unum sumus; et illa Discipuli: Et hi tres unum sunt, non de unitate naturæ, cum omnibus Patribus, sed de vinculo charitatis, cum Arianis, intelligi debere? et in operibus Sancti Augustini ad marginem libri primi contra Maximinum, ubi una atque eadem asseritur Dei natura, quis notationem illam adjecit, non una numero, nisi Erasmus? et quid manifestius dixerunt unquam tritheitæ?

Sed mittamus Erasmum, atque ad Lutherum veniamus. Martinus igitur Lutherus contra Jacobum Latomum scribens: Anima mea, inquit, odit hoc verbum — . Quid, quæso, vel sentiret, vel di-

ceret aliud Arius, si ab inferis nunc existeret? Nam tota illa tragoedia, quae Ecclesiam tot annis misere vexavit, ac vastavit, propter hanc unam vocem excitata est; cum Patres Catholici nihil aliud suis libris et Concilijs conarentur, quam hanc sententiam stabilire, quae Christum homousion Patri esse docet. Haeretici contra nihil aliud decem conciliabulis suis, igni quoque et ferro, armis et exercitibus molirentur, quam vocem hanc eandem abolere.

Sed audiamus inauditam calumniam et mendacium eiusdem Lutheri. In eodem contra Latomum libro affirmat,[1] hanc[3] vocem ipsam[2] Sancto Hieronymo displicuisse, quod nescio quid veneni latere in syllabis arbitraretur. Neque hoc Luthero per incogitantiam, aut lapsum calami excidisse putemus; id enim rursum repetit in lib. de Concilijs, in

hac verba: Sanctus Hieronymus vehementer perturbatus lamentabiles literas scribebat ad Episcopum Romanum Damasum, et cupiebat expungi vocabulum ......"
Quid faciemus hominibus istis, qui causam non queunt tueri suam, nisi fraudibus et mendaciis? Item S. Hieronymus eo loco, quem Lutherus adducit, qui est in epistola priore ad Damasum de hypostasibus, in voce hypostasis, non in voce homousios, dieserum latere dicit, quod ea vox ambigua sit, et tam personam, quàm substantiam significare possit. Tantumque abest, ut S. Hieronymo vox homousios displicuerit, ut potius solo metu, ne ea vox nobis eriperetur ab Arianis, tres hypostases dicere formidaverit. Itaque epistolam totam in hac verba concludit: obtestor beatitudinem tuam per crucifixum mundi salutem, per homousion Trinitatem,

ut mihi epistolis tuis sive tacendarum, sive dicendarum hypostaseon detur auctoritas.

Quid, quod non solum nomen homousios, sed etiam nomen trinitatis Luthero displicuit, et ex Germanorum precibus illam precandi formulam submovit: ... ... Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.

Quid quod non solum Ario, sed etiam Nestorio, et Eutycheti plurimum Lutherus favit? Nam in magnis Postillis, in concione de Natali Domini, imperitos quosdam, ait, Christum facere hominem omnipotentem, quid autem est aliud, non esse Christum hominem omnipotentem, quam non esse Christum hominem Deum; sed duas esse in Christo personas, ut quondam impius haeresiarcha Nestorius praedicavit? In libro de

Conciliis, par. 2. Mihi, inquit, paulò antè negotium fuit cum Nestorianis, qui pertinacissimè contra me disputabant, quòd Diuinitas Christi non possit pati. Et infrà; oportet, inquit, dici, hic homo Christus, hac caro et sanguis condidit cælum et terram; Certè nomina diuinitatis et carnis nomina sunt naturarum, non personarum, ergo, si Luthero diuinitas patitur, si caro cælum et terram condidit, quis non videat confundere Christi naturas, cum Eutychete [illegible]!

Sicut propensionem animi Lutheri in hos summos duos hæreticos manifestiùs perspicimus, in illo eodem de Conciliis libro, Nestorium et Eutychetem ex inscitia solùm aliqua, et in modo loquendi lapsos dicit; nam alioqui utrique verum bonum, animum sincerum, et fidem rectam tribuit; totam verò caussam tumultus et tragœdiarum illo tempore excitatarum, in Episcopos Catholicos, alterum videlicet et Cyrillum refert, et eo usque tam

iem progreditur, ut dicat vereri se, ne in extremo iudicio aliqui haeretici sedeant iudices, et Episcopi qui eos in Concilijs damnauerunt; in aeternum pereant, tantum non aperte dicens, Nestorium et Eutychetem cum Christo iudices futuros; sanctos vero Cyrillum et Leonem, in aeternum perituros. Non vacat mihi haec portenta exagitare, nec est opus, cum ipsa per se satis aperte clament. Vnum tantum addam; Nestorius zelum tam bonum, et animum tam sincerum habuit, cui, ut Euagrius refert lib. 1. cap. 7. historia sua, viventi Nestorio linguam totam vermes diuinitus immissi horribiliter corroserunt.

Transeamus ad Melanchthonem, Philippus Melanchthon in Locis communibus anno XXXIX. in lucem editis, fol. 8, Necesse est, inquit, in Filio aliquid esse diuinae naturae. Et rursum fol. 10. Necesse est in Christo aliquam esse diuinam naturam. Et in locis anni XLV. fol. 35.

de Spiritu Sancto verba faciens: Testatur, inquit, per Ioelem Deus non mitti creatam agitationem, sed aliquid essentiæ Dei. Necesse est autem personam esse distinctam quæ est aliquid Dei, et tamen non est Pater. Philippo igitur aut multæ sunt naturæ diuinæ, et habent quod volunt noui Tritheistæ, aut certe multæ sunt partes diuinæ naturæ, quæ est antiqua illa hæresis, aliquanto Ariana absurdior; de qua sic olim Augustinus in libro de hæresibus, cap. 71. Est, inquit, alia hæresis quæ triformem sic asserit Deum, ut quædam pars eius sit Pater, quædam Filius, quædam Spiritus Sanctus. Porrò in locis eiusdem anni XLV. idem Philippus: Non est quidem, inquit, lacerata, aut mortua diuina natura, sed fuit obediens Patri, quieuit, cessit iræ æternæ Patris. Quid clarius pro Ariana hæresi dici poterat? Nam si natura diuina Filij, Patri fuit obediens,

certè non est una Patris et Filij natura,
nec est Deus Filius, Deo Patri aequalis:
qua sententia nihil iucundius noui Aria-
ni audire potuerunt.

Sed iam si placet Caluinum inspicia-
mus. Is igitur in libro aduersus Gentilem,
in refutatione decima protheseos, non ve-
retur Valentino concedere nomen Dei
11. ; id est, per excellentiam quan-
dam soli Patri attribui; at si Pater est
per excellentiam Deus, quomodo non
maior est Filio? Rursum ibidem affir-
mat, non esse veritati contrariam sen-
tentiam illam Gentilis, Deum habuis-
se vim generandi Filium, ac propagan-
di Spiritum sanctum, quia voluit; at
Deum quidem volentem, genuisse Fi-
lium, non absurdè dicitur: sed genuisse
quia voluit, et, quod absurdius est, vim
habuisse gignendi, quia voluit, quis,
quaeso, sanus diceret? ac si Filium suũ

Deus propterea genuit, quia voluit, non igitur necessario genuit, non est igitur Filius Patri aequalis. Nam qua ratione fieri potest, ut qui potuit n͞o esse, aequalis sit ei, qui necessario semper est?

Quidquod in libro eodem idem Calvinus ait, Filium personae respectu, non nisi improprie creatorem cali et terrae nominari, Patrem autem proprie? quod quid est aliud, quam Filium redigere in ordinem rerum creatarum? Est ne hoc defendere, an prodere causam fidei? patrocinari, an praevaricari? haereticum refellere, an cum eo iocari, et ludere? Quid, quod ibidem ait, impropriam, ac duram esse locutionem Symboli Nicani; Deum de Deo, lumen de lumine? quod iam olim in Ario apud S. Vigilium his verbis Atha

nasius reprehendit: Propriè Filius, inquit, propriè est Deus de Deo, lumen de lumine. Jam verò in libro Institutionum 2. cap. 14. verba illa Apostoli Pauli; tunc et ipse Filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia: ad utramque Filij naturam, videlicet diuinam et humanam, referenda esse contendit, nec animaduertere potuit, aut voluit, non posse naturam diuinam filij Deo Patri subiectam intelligi, quin à Patris natura distincta, et ea longè inferior, atque adeo res creata esse intelligatur. His accedit, quod per multa Scripturæ loca, ac præsertim illum: Ego et Pater unum sumus, ita Caluinus hæretico more exponit, ut novi Samosateni in publica disputatione de sententia huius loci Caluinum iudicem appellauerint. Multa

restant dicenda, ego tamen brevitati stu-
dere cupio; itaque ceterorum errores in-
dicabo potius, quàm explicabo.

Henricum Bullingerum Zuin-
glii successorem non puduit scribere libro
de Scriptura, et Ecclesiæ auctoritate, tres
esse in divinitate personas, non statu, sed
gradu; non substantia, sed forma; non
potestate, sed specie differentes. Certè
personas divinas, gradu, forma, et spe-
cie esse differentes, vix Ariani ipsi dice-
re ausi essent.

Jamverò Petrus Melius, is qui in
Transylvania pro Lutheranis adver-
sus Blandratam, et Franciscum Davi-
dem toto decem dies publicè disputa-
vit in actione octava sic ait: Scriptu-
ra distinguit Filium Dei à Filio ho-
minis. Et rursum; distinguitur, in-
quit, Filius ille æqualis Patri ab eo,

qui non est æqualis.

Quod idem Theodorus Beza confirmasse videtur, tam in libro contra Brentium de omnipotentia carnis Christi, tum in altero contra Andream Jacobi, de hypostatica unione duarum in Christo naturarum, ubi apertissimè docet, duas esse in Christo hypostaticas uniones, unam carnis cum anima, alteram Dei cum homine. Quod quid est aliud quàm Nestorium iamdudum sepultum ab inferis reuocare?

Stanislaus Sarnicius, quem Caluinus in epistolis ad Polonos mirificè laudat, cum in colloquio publico resideret, palàm asseruit, et scribi etiam imperauit, solam diuinam Christi naturam, Pontificem esse, et sacerdotem, humanam verò vic

timam, et sacrificium; ac propterea ratione officij, minorem esse Patre Filium, etiam in natura diuina. Atqui hac ipsa verba legi possunt apud Sanctum Augustinum in sermone Arianorum, propositione 33. Ita pulchrè nimirum Caluinistæ, dum Arianos nouos oppugnare se dicunt, Arianorum veterum et verba et sententias imitantur.

Jacobus Schegkius Brentianus, in libro contra Tritheitas tam egregiè fidem propugnat, ut tamen dici nolit tres esse in Deo hypostases, sed unã tantum cum tribus potentijs. At hoc non est vincere Arianos, sed vinci ac debellari à Sabellianis.

Joannes Vvigandus in libro contra nouos Arianos, Lutheri sententiam approbat, ac defendit essentiam in diuinis generare, ac generari; Ex qua tamen sententia, velit nolit Vvigandus, efficitur, aliam Patris, aliam Filij esse naturam, cùm nihil possit se

ipsum gignere, nihil à se ipso generari possit.

Quid iam de Brentio Schmidelino Kemnitio, ac ceteris dicam, qui dum in Christi carnem, omnipotentiam, omnipraesentiam, omniaque divina attributa conferunt, ea sine dubio cum divinitate confundunt?

Quid item de Stancaro, eiusque sectatoribus, qui sic ad solum hominem Christum officium mediatoris referunt, ut duas in Christo personas distinguere, ac ad castra Nestorij transire velle videantur?

Quid denique de Figurinis, Genevensibusque Ministris, qui tanto ardore in Stancarum invehuntur, ut interim ad scopulum ipsi longè duriorem naviculam suam allidant? Dum enim utrique naturae Christi mediatoris officia tribuunt, divinam Christi naturam, et à Patris natura distinguunt, et rem creatam cum Arianis faciunt.

Quæ cum ita sint, vides, credo, Lector, non minus hoc tempore cum Sabellio, Ario, Nestorio, Eutychete sentire Serueto, Gentilem, Blandratam, et ceteros qui palam se eos sectari ac defendere profitentur, quàm Erasmum, Lutherum, Philippum, Caluinum, Bullingerum, Marlorem, Brentium, Bezam, Sarnicium, Schegkium, Vigandum, aliosque omnes qui eosdem se odisse ac detestari vociferantur. Sed si verè, et ex animo eos expectarentur, non possent etiam ipsi se doctrinamque suam non execrari, cùm id sanè negare non possint, se illis ad progrediendum in castra Arianorum non modò occasionem aliquam dedisse, sed etiam portam latissimam patefecisse.

Quid enim, quæso, Lutherani et Caluinistæ respondeant, si cum eis ita agant

Trutheista. Cur nos filios vestros tanto furore, parentes, vexatis? Cur ferro et igni persequimini quos genuistis? Cur tam iniquo animo Evangelij vestri fructus colligitis? Nulli certè ex Papistis Ariani fiunt, sed quotquot Ariani sumus, ex vobis Lutherani et Calvinistæ omnes prodiuimus. A vobis sanè, non à Papistis didicimus, nihil omnino credendum esse quod expressè in sanctis literis non habeatur. Quia verò homousion, trinitatem, essentiam, personam, relationem, proprietatem, in Scripturis expressè non legimus, hæc omnia damnare coacti sumus. A vobis didicimus, neque Papam, neque Conciliorum, neque totius Ecclesiæ, sed Solius Spiritus aquiescendum esse iudicio. Nobis autem hoc Spiritus dictat, nec possumus salva conscientia aliud credere, vel dicere. A vobis didicimus, Papam Antichristum, Episcopos, Monachos, Papistas denique omnes

ad Antichristi membra pertinere. Quis autem credat Antichristum et Christo rectè credere? ab Antichristo verum Christum prædicari? ergo si nobis constare vellemus, alium Christum quærere debuimus. A vobis denique, non à Papistis, didicimus, diuinitatem Filij Patri obedire, illi sacrificare, et pati, et mori posse, aliaque sexcenta generis eiusdem, ex quibus profecto, nisi stipites essemus, omnia, quæ nunc docemus.+ Quid ad hæc respondere debeant Lutherani, ipsis cogitandum relinquemus. Nos verò quæ nostræ partes sunt, Deo bene iuvante operam dabimus, ut hæc tam blasphema, et horribilia dogmata, quæ fidem Christianam funditus euertunt, quæque ad Mahumetismum viam sternunt ac muniunt; quàm accuratissimè, ac luculentissimè fieri potest, refellamus.

+ colligere debuimus.

Finis.

Soli enim magni fecere hæreses S. Augustinus [illegible] 124.

Nemini [illegible], extra [illegible] revelationem nota [illegible]
nato sua [illegible] 30 [illegible] in hunc [illegible]
[illegible] et bonos rationem [illegible]

[illegible] de Christi passione [illegible] ex P. Suarez [illegible] 3 p. a. ad q. 33

Christi [illegible] 60 [illegible] humano passum e [illegible] externo parte corporis, [illegible] sib. [illegible]
passo [illegible] ab alienis Judaeis a gentibus et sic de [illegible] = No[illegible] ne
passio [illegible] comprehenditur [illegible] passio physica, [illegible] corpus [illegible] et
[illegible] et dolorum efficitur, sed universum omnium actus, quo privatur homo aliquo bono suo,
vel aliquod malum pati[illegible], sive sit per realem passionem, sive [illegible]
[illegible] et infamia vel per immutationem intentionalem sensuum, ut in contumeliis vel per solam
privationem, ut amicorum desertione, et similibus = Cur voluerit Christus tot passionum
genera sufferre, optima est ratio Cajetani: scilicet ut omnes illas deificaret et hon[illegible]
[illegible] experiendas redderet et ut doceret homines omnia humana commoda contemnere, et
nihil [illegible] malorum timere, quae ab hominibus inferri possunt, [illegible] ipse dixerat Nolite [illegible]
mere [illegible] more [illegible] et mundano qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.
Matth. 10. Quod uno verbo dixit [illegible] 20 [illegible]
ut [illegible] omnibus [illegible] = Non licet nobis [illegible] hoc [illegible]
ne [illegible] nova passionum [illegible] confingere, [illegible] hoc n[illegible]
n[illegible] evidenti [illegible]

3a. Oratio Rethorica de Summo Pontifice, Habita in Gymnacio Romano, anno MDLXXVII.

Summus [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] es.

Antequam ad disputationem de Pontifice Maxime aggrediamur, pauca quædam præmittenda esse censui. Primum de utilitate et magnitudine institutæ disputationis: Deinde de ijs qui Romanum primatum scriptis libris oppugnare, vel etiam è contrario propugnare, ab exordio Ecclesiæ usque ad nostra tempora studuerunt: Postremo de ratione et ordine, quo præsens controversia, quæ necessario longissima futura est, à nobis tractanda atque explicanda sit.

Et quidem quæstionis de Pontifice magnitudo, atque utilitas ex duobus potissimum intelligetur: ex magnitudine rei de qua agitur, quaque indubium

In incolumitate, et inconcusso st[illegible] Pontifi[illegible] q[illegible] vert[illegible] salus fidei, atque fid[illegible] [illegible] S. [illegible] ep[illegible] pag. 80 et 81.

reuocatur, et ex multitudine et contentione aduersariorum: etenim de qua re agitur, cùm de primatu Pontificis agitur? breuissimè dicam, de summa rei Christiana. Id enim quaritur, debeatne Ecclesia diutius consistere, an verò dissolui et concidere. Quid enim aliud est quarere, an oporteat ab adificio fundamentum remouere, à grege pastorem, ab exercitu imperatorem, Solem ab astris, caput à corpore, quàm an oporteat adificium ruere, gregem dissipari, exercitum fundi, sydera obscurari, corpus iacere?

Porro aduersarij, id est, haretici, cùm in alijs ferè dogmatibus nonminus inter se, quàm à nobis dissentiant, in hoc tamen omnes conueniunt, ut totis viribus, summaque animi contentione Romani Pontificis sedē

oppugnent, nulli fuerunt unquam hostes Christi atque Ecclesiæ, qui simul cum hac sede bellum non gesserint. Quæ duo mihi Isaias Propheta longè antè prouidisse ac prædixisse videtur. Rei quidem magnitudinem et utilitatem, cùm ait: Ecce ego ponam in fundamentis Sión lapidem lapidem probatum angularem, pretiosum, in fundamento. Hæreticorum verò contentionem et impetum, cùm hunc ipsum lapidem: lapidem offensionis, et petram scandali esse dicit. Quæ posteriora verba et si ab Isaia non eodem loco posita sunt, quo priora (hæc enim cap. 8. illa cap. 28. continentur) tamen Apostolus Paulus ad Rom. 9. et Apostolus Petrus in epistola priore cap. 2. ita hæc omnia Prophetæ verba copularunt. Vt nemini dubium esse possit, quin ad eumdem fi-

nem, idemque propositum referantur, et quanquam haec verba in Christum præcipuè convenire non ignoramus, eadem tamen non ineptè in Christi Vicarium quadrare censemus.

Quæ sunt igitur fundamenta Sion? Explicat hoc Apostolus Joannes in Apocalypsi. Describens enim huius eiusdem sanctæ Civitatis partes omnes, atque ornamenta, inter cetera sic ait: Et murus civitatis habens fundamenta duodecim, et in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni. Fundamenta ergo Sion Apostoli sunt: in his numeratur, et excellit singularis quidam lapis: Ecce, inquit, ponam in fundamentis Sion lapidem. Quis iste lapis sit, nemo ignorat qui Evangelium legit. Cùm enim ex Apostolis duodecim unus

diceretur Simon; Dominus ei nomen mutauit, et pro Simone Petrum dici voluit, petram inquam: siquidem lingua Syrorum, qua Dominus sine dubio utebatur, nihil aliud Cephas, quàm petram, significat. Ait igitur illi Dominus: Tu es Simon; tu vocaberis Cephas; id est, petra, siue ut nos Latini commodius dicimus, Petrus. Et rursum alio loco: Tu es Petrus, siue tu es petra, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Ecce vobis lapidem in fundamentis Sion. Sed qualem lapidem putatis? Lapidem, inquit, probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum. Lapidem probatum. Siquidem omni genere probationis tentata est hæc petra, omnes portæ inferorum in eam impetum fecerunt.

Ac, ut omittam persecutiones Ju-

daeorum atque Ethnicorum, quæ huic sedi
sedicum reliqua Ecclesia communes fuerunt: certè imprimis hæretici permulti non semel neque bis, sed frequentissimè renouatis exercitibus cum hac sede aperto Marte conflixerunt. Deinde Græcorum æmulatio ac superbia, non antè destitit cum hac sede bellum gerere, quàm ipsi à Turcarum Imperatore oppressi, religionem quoque cum dignitate amiserunt. Tum Imperatores potentissimi et Christiani, et quod maius est, sub nomine religionis et pietatis, hanc ipsam sedem, unde adeo Imperij Romani sceptra peruenerunt, deijcere, atque euertere, sæpè conati sunt.

Nec enim ignoratis quas tragœdias in Ecclesia Henricus IV. Henricus V. Otho IV. Fridericus II. alijque

nonnulli diversis temporibus excitaxint. Et quasi hac parva fuissent, addidit Satan Romanum populum contra Pontifices commovere. Extat adhuc B. Bernardi epistola gravissima ad Senatum populumque Romanum, qua seditionem eorum contra Eugenium Papam à Diabolo concitatam sedare conatur. Ejusmodi verò seditiones turbulentissimæ, et perniciossissimæ, atque ad Romanum Pontificem perdendum aptissimæ, aliquot, non diebus, neque mensibus, sed annis, imò et seculis duraverunt.

Huc accesserunt schismata gravissima, et plurima ipsorum inter se Romanorum Pontificum, quibus non potuisset ullomodo non cedere, et tandem labefactari ac destrui Petri sedes, si non petra esset firmissima,

ac probatissima, et ab illo in fundamentis Sion constituta, qui ait: Et portæ inferi non prævalebunt adversus eã. Itaque si recte putavimus, ob vitam incorruptam, et mores integerrimos Summorum Pontificum, tamdiu stetisse hanc sedem: permisit adeptum Deus, ut etiam quidam parum probi Pontifices aliquando hanc sedem tenerent et regerent. Quales sanè fuerunt Stephanus VI. qualis Leo V. Christophorus I. Sergius III. Joannes XII. Alexander VI. aliique non pauci, sive ra sunt, quæ de eorũ vita et rebus gestis apud Historicos temporum scripta leguntur.

Itaque nihil est, quod hæretici tantùm laborent in quorundam Pontificum vitijs conquirendis. Hoc enim agnoscimus et fatemur,

ea fuisse non pauca: sed tantum abest, ut iis gloria huius sedis obscuretur, vel minuatur, ut iisdem potius vehementer crescat, et amplificetur. Hinc enim intelligimus non humano consilio, prudentia, viribus, Romanum Pontificatum tamdiu constitisse, sed quia haec petra ita à Domino roborata, diuinitus fundata, Angelorum custodiis septa, singulari Dei prouidentia, et protectione munita est, ut aduersus eam portae inferorum nullo modo praeualere possint, siue illis portis persequutio Tyrannorum, siue rabies haereticorum, siue schismaticorum furor, siue scelera et flagitia designentur. Lapidem ergo probatum posuit Deus in fundamentis Sion; nec solum probatum, sed etiam angularem, qui duos parietes connectat: quod mihi videtur ad demonstrandum discrimen inter Pontificem

Christianorum et Judæorum esse positum. Ille enim lapis quidem et fundamentum erat, sed non lapis angularis. Nec enim parietes duos, sed unum tantum sustentabat: at noster lapis angularis est, nam et Judæi, et Gentes, quasi parietes duo simul coniuncti, atque unam Christianam Ecclesiam facientes, ab hoc uno angulari lapide continentur.

Addit Isaias, et Pretiosum. Quo uno verbo infinitus bonorum thesaurus significatus est, qui à Petri sede in omnem Ecclesiam copiosissimè atque uberrimè deriuatur, Vnde enim ad Germaniam, Galliam, Angliam, aliasque remotissimas prouincias missi sunt, qui Euangelium prædicarent, nisi ab hac sede? Vbi nam Episcopi de suis sedibus pulsi, totoque orbe profugi, ut Athanasius quondam et Petrus Alexandrini, Paulus

et Chrysostomus Constantinopolitani, auxilium et refugium invenerunt, nisi in hac sede? Unde dogmatum explicationem, ritus Sacramentorum, indulgentiarum communicationem habemus, nisi ab hac sede?

Unde, ut cetera praetermittam, quae nimis longum esset enumerare, consensio in doctrina, vinculum pacis, unitas fidei, quae est ipsa salus, et vita religionis, nisi ab hac sede? Alioqui enim, cur haeretici nostri temporis, cum satis multas et amplas provincias obtineant, Angliam, Scotiam, Daniam, Norvegiam, Sueciam, et Germaniae, Poloniae, Boemiae, Hungariae, non exiguam partem, nunquam adhuc unum generale Concilium, in quo vel de uno articulo omnes convenirent, cogere potuerunt? Cur etiam Graeci ab anno

DCCC. quo à se de Petri, Romana que Ecclesia discesserunt, per alios totos fermè DCCC. annos neunquam quidem Synodum celebrauerunt in argumentum mutuæ per ipsos consensionis et pacis? Cùm nos è contrario ab eo tempore circiter decem Concilia Generalia eaque frequentissima habuerimus, quorum postremum est hoc ipso tempore, quo Lutherani inter se accerimè digladiantur, et de concordia planè desperant, summa Patrum consensióne celebratum, Quæ potest esse huius tantæ differentiæ ratio, nisi quod illi eo duce ac rectore carent, qui solus potest ac debet fratres omnes in fide confirmare, et Ecclesiam uniuersam in unitate retinere?

Addit postremò idem Propheta. In fundamento fundatum. Quid est enim

in fundamento fundatum, nisi fundamentum post fundamentum, fundamentum secundarium, non primarium? Siquidem primum ac præcipuum Ecclesiæ fundamentum non ignoramus esse Christum, de quo Apostolus ait: Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus. Post Christum, fundamentum est Petrus, et nisi per Petrum non peruenitur ad Christum. Jactent licet hæretici Christum, eiusque Verbum ac doctrinam sequi, se glorientur, necesse tamen est, ut inquit Magnus Leo in epistola ad Episcopos Viennensis prouinciæ, exortem mysterij illum esse diuini, qui ausus fuerit à Petri soliditate recedere.

Est igitur Petri sedes lapis probatus, angularis, pretiosus, in fundamento fundatus, et id quidem nobis. At verò

aduersarijs nostris hæreticis nihil est aliud, quam lapis offensionis, et petra scandali. Cum enim deberent se super eam ædificare in templum sanctum in Domino, illi contrà, ut verè cæci atque furentes in eam impingunt. Displicet enim humana sapientiæ, displicet superbia eorum, qui in oculis suis prudentes sunt, ut unus mortalis, quo nec eruditione, nec probitate, nec ulla alia ratione inferiores se iudicant, fundamentum dicatur Ecclesiæ, super quod tantum, tam ingens, tam sublime, tam immensum ædificium colloce tur. Propterea verò eis hoc displicet, quia non intelligunt, quàm sit Deo non solùm facile, sed etiam gloriosum infirma eligere, ut confundat fortia. Nec animaduertunt hanc esse Dei consuetudinem, ut per fidem, et humilita-

tem, ad sapientiam et gloriam nos deducat.

Sic nimirum constituit, per stultitiam prædicationis crucifixi, salvos facere credentes: sic piscatores elegit, ut converteret Imperatores: sic rebus abiectis, ac vilibus, aqua, oleo, panis, vinique speciebus Sacramentorum virtutes, et infinitos donorum cælestium thesauros alligavit: ut dum fide et humilitate rebus illis abiectis subijciuntur, ad sortem filiorum Dei, et ad ipsius divinæ naturæ consortium evehamur. Sed illi ad hæc omnia oculos claudunt, et solum contra salutarem petram, contraque Dei consilium insanire, et debacchari non cessant: ut verè sit illis lapis offensionis et petra scandali. Hanc enim sedem Donatistæ quondam Cathedram pestilentiæ nomina-

bant: huius sedis Pontificem Berengarius Pontificem atque Pulpificem vocitabat; hanc Valdenses purpuratam meretricem: hanc Joannes Viclef Satanae Synagogam; hanc Lutherani, Calvinistae, Anabaptistae, Antichristi solium esse contenderunt. Et cum à nobis in plurimis alijs rebus dissideant, tamen hinc nobis solum nomen imponere voluerunt. Nec enim aliud, quàm Papistas nos vocant, quasi vel solum, vel praecipuè in Summo Pontifice tuendo errare nos arbitrentur. Neque putant se maiori contumelia aliquem efficere posse, quàm si eum nominent Papam. Qui etiam è contrario loca omnia coenosa ac sordida, et quidquid turpe ac foedum in rerum natura reperitur, Papae vocabulo appellare coeperunt.

Denique is est Lutheri atque Calui
ni, eorumque similium in Pontificem
animus, ut cum de alijs rebus omnibus
mordaciter ac petulanter scribant, in
Pontifice Summo vexando, et probris,
calumnijs, conuitijs onerando, furijs
agitari, et malo Dæmone pleni esse, vel
potius hominem exuisse, ac Dæmonem
induisse videantur. Ceterùm quia ipsi, ve
lint, nolint, lutei, fragilesque sunt. Sum
mus verò Pontificatus petra firmissi
ma est, non ipsi, dum apud hanc sedem
offendunt, eam confringent, sed ab ea
potius sine dubio conterentur: Qui ce-
ciderit, ait Dominus, super lapidem
hunc, confrigentur, super quem verò
lapis ceciderit, conteret eum. Et Mag-
nus Leo loco antè notato: Quisquis, in-
quit, huic sedi Principatum existi
mat denegandum, illius quidem nullo

modo potest minuere dignitatem, sed inflatus Spiritu superbia sua, semetipsum in inferna demergit.

Vt enim ingens aliquis scopulus, qui in medio mari super undas ac fluctus eminet, non deijcitur unquam, nec mouetur, licet identidem ventorum flatus marisque fluctus magno impetu in eum incurrant; sed eos potius omnes soluit ac frangit; sic Petri sedes toties iam ab Iudæis, Ethnicis, Hæreticis, Seditiosis, Schismaticis, incredibili furore pulsata, illis ferè omnibus, vel consumptis, vel subactis, vel prostratis, supra mille et quingentos annos stat immota; et semper (ut S. Augustinus ait) frustrà circumlatrantibus hæreticis, culmen auctoritatis obtinuit. Quæ cum ita sint, vides, ni fallor, eius controuersia mag

nitudinem, quæ à nobis ad explicandum proposita est.

Venio nunc ad id, quod secundo loco posuimus. Primi, qui seriò primatum Romani Pontificis oppugnarunt, videntur fuisse Græci. Ipsi enim iam inde ab anno Domini CCCLXXXI. Episcopum Constantinopolitanum, qui antea ne Patriarcha quidem erat, tribus Patriarchis Orientis anteponere, et secundum à Romano Pontifice facere voluerunt. Id intelligi potest ex Concilio II. Generali, can. 5. Deinde anno CCCCLI. eo Græci non contenti, eum Episcopum Constantinopolitanum Rom. Pontifici parem efficere conati sunt. Nam in Synodo Chalcedonensi, act. 16. definiunt, Græci Patres, non tamen sine fraude, et absentibus Legatis Romanis,

Constantinopolitanum Episcopum ita secundum à Romano esse debere, ut tamen habeat æqualia privilegia. Neque hoc etiam contenti, temporibus S. Gregorij, ac prædecessoris eius Pelagij, eius nominis secundi, circiter annum DC. Episcopum Constantinopolitanum, Oecumenicum, idest, orbis terræ, siue universalem Episcopum appellare cœperunt. Cuius rei testis est ipse S. Gregorius in epistolis, quas multas breui tempore de hac causa scripsit ad Joannem Episcopum Constantinopolitanum, ad Imperatorem Mauritium, ad Imperatricem Constantiam, ad Patriarchas ceteros Orientis.

Denique anno M.L.IV. aperte pronunciarunt Rom. Episco-

pum propter additionem particulæ Filioque, ad Symbolum Constantinopolitanum, ex sententia Synodi Ephesinæ, quæ id prohibuerat, de suo gradu excidisse, et iam summum, ac primum Episcoporum omnium esse Pontificem Constantinopolitanum. Refert id Sigebertus in Chronico, et alioqui ex epistolis Leonis IX. satis apertè colligitur. Extat etiam libellus Græcè scriptus à Nilo Thessalonicæ Archiepiscopo aduersus primatum Romani Pontificis, quem nuper Illyricus ex nesciò quibus latebris productum ad lucem, Latinitate donauit.

Ex Latinis primi sunt Valdenses, qui se ab obedientia Romani Pontificis subtraxerunt. Exorti sunt autem Valdenses anno MCLXX. ut Reynerius scribit, qui ante annos CCC.

floruit. Anno deinde M.CCC. Matthaeo Palmerio teste in Chronico, extiterunt quidam, qui Fraticelli dicebantur, qui praeter alios errores hunc etiam habuerunt, Pontificiam auctoritatem in Romana Ecclesia iamdudum cessisse, atque ad sectam Fraticellorum esse translatam. Vide Joannem de Turrecremata, lib. 1. Ecclesiae par. 2. capitulo 37. Non diu post, eodem Joanne de Turrecremata teste, extiterunt Marsilius Patavinus, et Joannes de Iandune, qui Romano Pontifici non modo Episcopos omnes, sed omnes etiam Presbyteros pares fecerunt.

Deinde circiter annum Domini MCCCXC. exortus est Joannes Viclef, et eum secutus est Joannes Huss, quorum sententia adversus Apostolicam sedem [illegible] pr[illegible]unt in Concilio Constantiensi, sess. 8. et 15.

Ad extremum nostro hoc saeculo
Martinus Lutherus et quotquot post
eum haeretici apparuerunt, Romanum
Pontificatum totis viribus omnique ani-
mi contentione labefactare conati sunt.
Ac summa quidem Doctrina ipsorum
haec est, Romanum Episcopum fuisse
aliquando Pastorem, et Concionato-
rem Ecclesiae Romanae, atque unum
e ceteris, non super ceteros: nunc
vero nihil esse aliud, quam Antichri-
stum. Vide Lutherum in libro de potes-
tate Papae, et in assert. art. 25. Philip-
pum Melanchthonem (si tamen ip-
se est libri auctor) in libro de potes-
tate, et primatu Papae, seu de regno
Antichristi, nomine Synodi Smal-
caldensis conscripto. Joannem Cal-
vinum, lib. 4. Instit. cap. 6. et seq.
Joannem Brentium in Confessione

Wittemb. cap. de Summo Pontifice, et in Prolegomenis adversus Petru à Soto. Matthiam Illyricum in Cent. 1. lib. 2. cap. 7. col. 524. et seq. et cap. 10. col. 558. et seq. ac deinceps in singulis centurijs, cap. 7. item in lib. de primatu Papae? et in altero de historia concertationis Papae, et Concilij VI. Carthaginensis.

Jam verò qui pro Summi Pontificis auctoritate scripserunt, ex omnibus nationibus multi reperiuntur, sed nè quis aliquis fortè queratur se praetermissum, profiteor me non omnes enumeraturum, sed eos tantum, qui ad manus meas pervenire potuerunt. Ex Polonia unum habemus, sed qui instar multorum esse possit, Hosium videlicet Cardinalem, cum in explicatione Symboli, cap. 26. tu

in lib. 1. contra Brentium, tum in lib. de auctoritate Summi Pontificis.

Ex Gallia duos habemus: Remundum Ruffum in lib. adversus Carolum Molinaeum, pro Summo Pontifice; et Robertum Arboricensem, in 4. tom. de utriusque gladij potestate.

Ex Germania quinque: Joannem Eckium in libris tribus de primatu S. Petri: Joannem Fabrum in refutatione libri Lutheri, de Pontificis potestate; Joannem Cochlaeum in 1. Philippica; Gasparem Schatzgerum in controversijs; Conradum Clingium, lib. 3. de locis communibus.

Ex inferiori Germania sex; Joannem Driedonem, lib. 1. cap. 3. p. 2. de Scripturis, et Dogmatibus Ecclesiae. Albertum Pighium lib. 3. 1. et 5. Ecclesiae hierarch. Joannem à Loua-

nio & perpetua Cathedra Petri protectione, et firmitate; Jacobum Latomum lib. de primatu Petri; Gulielmum Lindanum lib. 1. Panopliæ; Joannem Bunderium in compendio Concertationum, tit. 3.

Ex Anglia sex: thomam Valdensem lib. 2. Doctrinalis fidei, art. 1. et 3. Joannem Roffensem in refutat. art. 25. Reginaldum Polum Cardinalem, lib. de Summo Pontifice, et lib. 1. et 2. ad Regem Henricum VIII. Alanum Copum Dialogo 1. Nicolaum Sanderum in libris de visibili Monarchia; thomam Stapletonum lib. 6. Controversiarum.

Ex Hispania septem: Joannem a Turrecremata lib. 2. de Ecclesia; Alphonsum de Castro lib. 12. contra hæret. Melchiorem Canum lib. 6. de

locis; Petrum de Soto in defensione suæ confessionis, à cap. 71. usque ad finem; Franciscum Horantum lib. 6. de locis catholicis; Franciscum Turrianum in libris contra Antonium Sadeelem. Et Gregorium de Valentia, qui nuper etiam de eodem argumento scripsit in sua Analysi fidei catholicæ par. 7. et 8.

Ex Italia octo: D. Thomam in opusc. contra Græcos; B. Augustinum Triumphum Anconitanum, in Summa de potestate Papæ; B. Antoninum 3. par. tit. 22. Summæ theologiæ; Thomam Caietanum Cardin. de institutione et auctoritate Romani Pontificis; Gasparem Contarenum Card. de potestate Romani Pontificis; Thomam Campegium in lib. eiusdem tituli: Joannem Anto-

nium Delphinum lib. 1. et 2. de Ecclesia.
Ex Græcia unum; Gennadium Scholarium in defensione Capituli quinti.
Quod autem attinet ad ordinem et dispositionem, Proposita disputatio, duas habet partes præcipuas; Unam de institutione summi Pontificatus sive Ecclesiasticæ Monarchiæ; Alteram de summi Pontificis officio et potestate. Ac parte quidem priore sex Quæstiones continentur.
Prima, Sitne Monarchia optimum regimen?
Secunda, Num regimen Ecclesiæ debeat esse Monarchicum?
Tertia, Fueritne S. Petrus primus Ecclesiæ Catholicæ spiritualis Monarcha?
Quarta, Num idem B. Petrus Romam venerit, atque ibidem Pontificalem sedē

perpetuò mansuram constituerit?
Quinta, succedat ne S. Petro Romanus Episcopus, non solum in Episcopatu Romano, sed etiam in universa Ecclesia Principatu? Ad quam quaestionem quaedam etiam aliae revocabuntur, quae cum ea ita coniuncta sunt, ut sciungi nullomodo possint: ut, de Appellationibus ex toto orbe terrarum audiendis; de instituendis, confirmandis, transferendis, puniendis etiam et ab officio removendis Episcopis; et alia nonnulla generis eiusdem.
Sexta, Num idem Romanus Episcopus ex Vicario Christi in Antichristum aliquando transierit?
Iam verò posterior Controversia pars sex alias Quaestiones complectitur?
Prima, sitne Romani Pontificis sta

tuere de Controversijs fidei, et mo-
rum?

Secunda, An in eo iudicio errare possit?

Tertia, Possitne Summus Pontifex leges condere, quæ hominum conscientias verè ligent, et simul animadvertere in prævaricatores?

Quarta, An sit Ecclesiastica iurisdictio soli Pontifici Summo à Christo ita commissa, ut nonnisi per eum ad ceteros derivetur?

Quinta, An præter spiritualem iurisdictionem habeat idem Ponti-fex temporalem aliquam potestatem; ea ratione, qua Pontifex est?

Sexta, An possit habere, ac reipsa habeat, Principum donatione, Imperium aliquod temporale in certas provincias, aut regiones? ....

Finis.

Amussis ęternitatis.

*

Secundum mensuram regulę, quā mensus est vobis Deus. 2. Corinth. c. 10. 13.

I

Considera quemlibet Christianum debere sibi in hac vita extruere Domum perfectionis et virtutis, cui in altera vita respondeat, Domus beatę ęternitatis, ad illamque applicare assidue amussim rectę intentionis. Sicut enim domus materialis constituitur magno labore, ordine, varietate, sensim crescendo ex varijs lapidibus, tignis et trabibus, adęquiam Artificis: Sic domus Spiritualis ędificatur ex varijs virtutibus et sanctis Operationibus, æque longo labore, ordine, ac lento incremento, semper crescendo, simulque identidem adhibendo amussim sive regulam ęternitatis, ne vel lapides extent vel lacunas relinquant; vel muros curvos, difformes, distortosque

Documentum - - - - - Quare si sapis, ô Lector, ad structuram tuam spiritualem constanter adhibe amussim ęternitatis, [illegible]pert purę intentionis, qua nihil nisi Deum et ęterna spectes; et fabricabis Domum adeò firmam, vt nec ruret flabra persecutionum, nec fluctus adulationum, nec Zephyros promissionum, nec aquilones minarum, nec nimbos probrorum, nec procellas verborum; sed in timore et amore Dei inconcussa consistet. = Sique-

Sicut marpesia cautes, aut sicut rupes quę maris fluctibus undique tunditur, ventis impetitur, grandine et fulmine feritur; et tamen immota, invictaque consistit. Fundata enim est supra firmam petram, ęternitatis

reddant: ut enim ait S. Gregorius in Moral. Sicut fabrica columnis, columnæ autem basi innituntur, ita vita nostra virtutibus, virtutes autem in intentione intima subsistunt

II.

Ut autem constet quænam sit Domus Christianæ perfectionis, cujus fabricæ, amussis æternitatis constanter adhibenda est; sciendum est illam esse Domum veræ sapientiæ: cuius longitudo est longanimitas; latitudo charitas; altitudo spes; quatuor parietes sunt quatuor virtutes cardinales, scilicet Prudentia, Justitia, Fortitudo et Temperantia. Pavimentum est Humilitas; tectum Patientia, fenestra desiderium celestis gloriæ, per quam intrat et venit lux Evangelii: Ostium est obedientia mandatorum; ostiarius timor sanctus; custodes sunt Angeli; turris est contemplatio; canis vigil, improbis motibus et moribus allatrans est synteresis.

III

Dominus hujus Domus est mens et intellectus, Sponsus est Voluntas, Filii sunt bona opera; servi sunt sensus mentis obsequentes, mensa est sacra Scriptura; panis est Eucharistia; vinum est Sanguis Christi; aqua viva est Spiritus Sanctus, oleum est misericordia, lectus est animi quies et pax; medicinæ sunt Sacramenta; Medici Sacerdotes; hospites Pater et Filius et Spiritus Sanctus. Ita S. Bern. de interiore domo, et Salmeron. O quam præclara Domus! Sed cujus fabrica tota semper dirigenda est ad amussim bonæ intentionis, et motivorum æternorum: sic enim fundatur supra petram: si enim adhibeatur amussis curva vel pravæ, vel adiaphoræ intentionis; struitur supra arenam et totum ædificium ruinæ expositum est.



4.ª Oratio Rethorica De Conciliis, Et Ecclesia.

Sacrorum Conciliorum auctoritatem, quae semper in Ecclesia magna fuit, adversus multiplices haereticorum fraudes, et calumnias, his libris pro viribus defensurus, antequam ad rem ipsam aggrediar, pauca quaedam putavi esse dicenda de summa, atque incredibili calliditate, quam ad hanc levandam auctoritatem Satanae administri nostris temporibus adhibuerunt. Etenim quoniam sacrosancta Conciliorum auctoritas in Ecclesia Catholica, ut paret, semper eminuit, et saepe in maximis rerum perturbationibus, ad dissipandas errorum tenebras, quasi fulgor quidam salutaris illuxit, non existimavit

hostis humani generis possedit, huius. discordias in Ecclesia serere, et schismata, atque haereses confirmare, et propagare, nisi iudicia Ecclesiastica de medio tolleret; et cathedram illam euerteret, ex qua Christus ipse per homines sonans, et iudicans, omnes fidei controuersias, litesque componit.

Itaque Lutherani incitauit homines, ut ad fallendum paratos, ita praecepto admentiendum; qui quidem, cùm initio nulla modo fieri posse crederent, ut Summus Pontifex ad indicendum generale Concilium adduceretur; coeperunt ipsi magna contentione simul, et Pontificem grauiter accusare, et aduersus eundem Pontificem Concilij generalis opem implorare. Ita enim fore arbitrabantur, ut et qu-

cumque vellent scelera, atque flagitia, quamvis falsa, et incredibilia, de Pontifice liberè spargere, et eum apud omnes Christianas nationes rerum maximorum criminum facere sibi liceret, et ipsi interim non Ecclesiae hostes esse, ut re ipsa erant; sed viri amantes pietatis, fideique cum haberi, quippe qui Concilij auctoritatem agnoscerent, ab omnibus iudicarentur. Quo circa tot, et tam atrocibus calumnijs, et maledictis, et voce, et litteris Christi Vicarium onerauerunt, ut permultis, magnisque nationibus planè persuaserint, eum non Christianum Praesulem, sed Christi iuratum hostem, atque adeo ipsum verum, et propriè dictum Antichristum esse.

Ôrationem certè in mensam
susciperem, si ea mendacia percen-
re vellem, quibus haeretici huius tem-
poris in omnibus ferè libris, et ser-
monibus suis Apostolicae Sedis Pon-
tificem impudentissimè asperserunt,
unum solum, aut alterum exem-
pli causa attingam. Maximus Lu-
therus in libro de Ecclesia propè ex-
tremo: <u>Papa</u>, inquit, Scripturam
sacram, in cloaca, et pulvere sepelijt,
et Doctrinam Christianam penè in-
tegram <u>deleuit.</u> Extat libellus de
primatu Papae scriptus nomine to-
tius Synodi Smalchaldicae, aucto-
re, ut arbitror, Philippo, qui in libro,
praeclara illa Synodus Luthera-
rum ab hoc mendacio exorditur: <u>Pa-</u>
<u>pa</u>, inquit, arrogat sibi auctoritatem
condendi leges de cultibus, et mu-

iatione Sacramentorum, de doctri na, et vult suos articulos, sua decreta, suas leges existimari pares legibus Diuinis. Et infra: Arrogat sibi Papa Diuinam auctoritatem, quia sumit sibi ius mutandi Doctrinam Christi, et cultus à Deo institutos, et suam doctrinam, et suos cultus vult obseruari, tanquam Diuina.

At quod Sacramentum, quem cultum à Deo institutum, quem doctrinæ articulum Papa mutauit? Et quis ille Pontifex fuit, qui suas leges diuinis legibus exæquauit? an non videmus quotidie Pontificias leges, vel ab ijsdem, qui tulerunt, vel à successoribus, si tempus id postulet, abrogari? Quæ verò diuina lex ab ullo unquam Pontifice

legitur abrogata? sed nolo in eius modi nugis tempus amittere. Hoc affirmo, similibus mendacijs plenos esse libros Lutheranorum, eaque apud illos, non ut res saltem dubias, sed ut oracula certissima litteris, et sermone omnium celebrari. Qui tamen initio, ut dicebam, ne omnino alieni ab Ecclesia Catholica esse viderentur, quanto plus auctoritatis detrahebant Pontifici, tanto amplius Concilio tribuebant. Extat Lutheri ipsius ad generale Concilium prouocatio. Extant Comitia Imperialia, Augustana, Norimbergensia, Spirensia, Ratisponensia, Wormatiensia, aliaque nonnulla, in quibus Lutherani Generale Concilium sæpius postularunt.

Ut ne forte molestum sit, si tempus in tam varijs tot comitiorum actis recitandis conteramus, pr[illegible] tibi, [illegible] ipsorum Protestantium [illegible] ad [illegible] dixi, quibus Protestatio adversus Concilium Tridentinum inscribitur, continetur: Profitemur, inquiunt, ac protestamur nos adhaerere, a[illegible] imperarentur [illegible] protestationi, et appellationi Rever. Patris D. Lutheri ad [illegible], violentis[illegible] neque iudicio Pontificis, ac omnium eius factionis iudicum, ad librum Christianum, legitimum, ac in Spiritu Sancto congregatum Concilium. Quae pro[illegible], protestatio, et appellatio fuit post [illegible] unanimiter, ac mu[illegible] a nostris Ecclesiis [illegible] et [illegible] aliquot etiam [illegible] ab omnibus statibus comprobata. [illegible] ipsorum [illegible] quibus, ut vides,

affirmant, Lutherum primò, deinde Ecclesias suas, postremò etiam Principes sibi addictos, à Pontificis sententia ad Concilij iudicium sæpius appellasse.

Sed quamdiu existimas, in sententia ista expetendi Concilij permanserunt? quamdiu nullum futurum esse Concilium speraverunt. Nam simul ac Paulus Pontifex eius nominis Tertius, Concilium generale ad tridentinum indixit, et eiusdem Concilij fundamenta iaci, et initia quædam apparere cœperunt, continuo illi mutata sententia, vel potius, quam ante simulaverant, aperte prodita, Concilium improbare, à Concilijs appellare, nec solùm recentia, sed etiam vetera omnia reprehendere, et ipsum tridentinum vixdum inchoatum in-

uectiuis, censuris, protestationibus, calumnijs quoque et mendacijs opprimere studuerunt, ut si fieri posset, prius Concilium illud haereticorum astutia solueretur, quàm Catholicorum diligentia coalesceret.

Ita vero esse, ut dico, testes mihi sunt omnes, qui legerunt librum de Concilijs à Luthero illo ipso tempore conscriptum; libellum Philippi Melanchthonis de caussis, cur Lutherani ad Concilium non accesserint; librum Protestationis XXXIV. Ministrorum: librum Illyrici de norma ac praxi Concilij: Denique Martini Kemnitij examen Tridentini Concilij, Concilium Caroli Molinaei super eodem non admittendo Concilio; Antidotum Joannis Caluini contra eiusdem venena Concilij. Sed operae pretium erit

ex istis ipsis, quos nominauimus, auctoribus, aliquid proponere, ut ex eorum verbis et testimonio cognoscas, quanti fiant ab illis Ecclesiæ Concilia, quæ paulò ante tantopere flagitauerant.

Igitur Martinus Lutherus, cùm famâ accepisset, indictum esse Concilium, continuò arrepto calamo, librum confecit, atque inscripsit, de Concilijs: credo, ut ageret Deo gratias, et Ecclesiæ gratularetur, atque omnes ad Concilium inuitaret. Nihil minus; / Summa enim libri est, nihil esse opus Concilijs, cùm etiam vetera illa Santissima et celeberrima erraverint, et quilibet Parrochi et Ludi magistri non minus possint in Ecclesia, quàm quævis maxima, et numerosissima Concilia. Oriditur

à Concilio illo sine controuersia antiquissimo et sanctissimo, quod Apostoli Hierosolymis celebrauerunt: et quoniam in eo Concilio Apostoli decreuerunt abstinendum esse à sanguine et suffocato; ad has angustias nos redigit, ut vel ab his cibis nos abstineamus, vel apertè fateamur, liberum esse Concilio summo ac primo non obedire. Deinde, grauiter apponit quanta calamitas sit, non vesci deinceps capreis, leporibus, ceruis, cuniculis, anseribus, turdis, ceterisque auiculis, et quod miserius est, abstinere lucanicis, alijsque farciminibus, et insculis etiam quibusdam, quia non solum pipere condiuntur, sed etiam sanguine (ut ipse loquitur, qui ista bene norat) vel liquido tinguntur, vel crasso,

et coagulato infarciuntur.

Quia verò tam gravis iactura nullomodo subeunda Luthero esse videbatur, inde effecit, non esse Apostolico decreto obtemperandum. Exque rursum ita conclusit; ergo liberum est nobis omnia alia Concilia relinquere, et sic liberi sumus ab omnibus Concilijs. Praeclarè omnino: quasi verò quia non tenemur ea Concilij lege, quae solùm ad tempus data fuerat, iam nullis alijs Conciliorum legibus teneamur.

Pergit deinde ad Nicaenum I. Concilium, cuius in Ecclesiâ Catholica semper summa auctoritas fuit, ac de canonibus eius Concilij loquens: Hi omnes, inquit, articuli, foenum, stramen, ligna, stipula fuerunt. Et infrà: De illis ligneis articulis reliquiae manserunt, quasi aliqui titiones, nempe articulus de festo Paschatis. Hic m-

minum est honor, quem habet Lutherus antiquissimo, et celeberrimo Concilio, ut eius decreta, ligna, fœnum, stipulas, titiones appellet. Sed parum esset, si tantùm non necessarios, ac supervacaneos eos canones diceret, et non etiam periculosos, impossibiles, inter se contrarios, ac pugnantes esse contenderet. Quia enim vetat Concilium, ne qui se absciderunt, sacris Ordinibus, initientur, et simul imperat hominibus sacratis, ne ullam omnino domi suæ fœminam habeant, præter matrem, aut sororem: Hic prorsus, inquit Lutherus, non intelligo Sanctum Spiritum in hoc Concilio, si illi pro idoneis non sunt reputandi in ministerio Ecclesiastico, qui se ipsos castrant ad vitanda libidinum incendia, et rursus illi etiam non sunt idonei, qui ad evincendos carnis stimulos habent, aut ducunt uxorem,

quo res tandem cadet? An debebit Episcopus, aut Concionator illum inalterabilem ardorem, æstum amoris illiciti sustinere, et neque coniugio, neque castratione se ab his periculis liberare? Quasi vero, Luthere, nihil sit medium, inter coniugium, et castrationem: quo pacto igitur, Paulus, Joannes, Jacobus, Apostoli cæteri, Ambrosius, Hieronymus, Gregorius, et quid enumero singulos homines? quo pacto, inquam, tot millia Sanctorum, neque se ipsi absciderunt, et tamen usque ad vitæ finem uxoribus caruerunt? nimirum preci bus, ieiunijs, labore assiduo, non membrorum abscissione gloriosa certamina superantur.

Sed audiamus, quàm honorificè de hoc eodem Niceno Concilio sub finem huius loci loquatur Lutherus: Anverò, inquit, nihil aliud est negotij Spiritui,

Sancto in Concilijs, quam ut impossibilibus, periculosis, non necessarijs legibus suos ministros obstringat, et oneret? Quæ cùm ita sint, vides certè, Lector, quanti faciat Lutherus Conciliorum auctoritatem, cùm decreta Niceni Concilij, quo nullum est magis à Patribus omnibus laudatum, lignea, non necessaria, periculosa, impossibilia, inter se pugnantia, ac demum stramen, fœnum, stipulas, titiones ore impudentissimo appellare non vereatur; quid, quod omnia Concilia ita extenuat, ut cùm eis Parochorum industriam, et Ludimagistrorum aucto ritatem comparet: Putasne, inquit, adeò esse tenue, aut angustum officium Parochi, aut Ludimoderatoris, ut non possint aliqua ex parte conferri ad Concilia; dicam et quiddam amplius, maius lumen accedit doctrina Christianæ ex

Catechismo pueriti; quam ex omnibus Concilijs. Et infrà: Et quid opus est verbis, etiam si omnino Synodum decreta possint per infundibulum demitti in tuum corpus, tamen nondum esses Christianus, quia nimis paum conferunt. Egregia sanè conclusio, et digna tam gravi Theologo, qui paulò antè tam seriò videbatur Concilij generalis iudicium appellare. Omitto quod dicit de Secunda, tertia, et Quarta Synodo; cùm similia sint prioribus, et ego brevitati studeam.

Venio igitur ad ea mendacia, quæ ad extenuandam Concilij Tridentini auctoritatem adversarij sine ullo pudore effutiunt, nec tamen omnia, nec etiam plurima, id enim infiniti operis esset, sed pauca de multis proferam: Illi Sycophantæ, inquit

Lutherus in libro de Concilijs, qui pa rasitantur Papa, adeo sunt dementati, ut hoc paradoxum audacissime defendant, Concilia potestatem habere condendi nouos articulos fidei, et mutandi veteres. At qui sunt isti Sycophanta? Cur nemo nominatur? ubi, quando, qui teste dixerunt, aut scripserunt, posse à Concilijs fidei articulos immutari? ...

Matthias Illyricus in libro ... ac praxi Concilij tridentini: Clamant illi, inquit, Concilij scilicet Patres, Ecclesiam, id est, Pontificem cum suis spiritualibus esse supra Scripturam, et Papam posse ex plenitudine potestatis contra Apostolum, et totum vetus testamentum dispensare. Hac ille. Sed extat Concilium, legatur diligenter, nusquam

inueniimus eiusmodi portenta.

Martinus Kemnitius in exa mine Concilij Tridentini: ita diues mendaciorum est, ut quattuor sententiolis, quinque mendacia comprehenderit. (Dicunt, inquit, Patres videlicet Concilij, quod Papa habeat voluntatem pro ratione, in his, quæ vult, quod possit formam Sacramentorum ab Apostolis traditam immutare, quod contra Epistolas Pauli possit statuere, quod dispensare possit contra quatuor prima Concilia, et contra verba Euangelij. Quis crederet tam impudentes homines reperiri potuisse, qui de Tridentino Concilio tam audacter mentirentur, cum et ipsius acta passim legantur, et adhuc vivant plerique eorum, qui ipsi per se Concilio interfuerunt.

Sed restat adhuc aliud splendidum

omnino, et sæpius repetitum adversariorum mendacium. Multis de caussis Lutherani Hosium Cardinalem, virum æterna memoria dignum, implacabili odio persequuntur; sed eò præcipuè, quòd Legatus Apostolicæ Sedis Concilio Tridentino præsederit, atque eidem Concilio industriâ, et sapientia sua non parum ornamenti, atque etiam emolumenti contulerit, ut igitur simul, et Legati, et Synodi auctoritatem deprimerent, verba quædam, quæ is Cardinalis in libro de expresso verbo Dei, nomine Schuenckfeldij hæresiarchæ protulerat, et ideo protulerat, ut indicaret, quàm tetri errores ex Lutherana hæresi, quasi venenati fructus ex corrupta radice pullulassent; illa, inquam, verba, tanquam si Cardinalis ipsius sententiam continerent, boni isti viri magna cum execratione ubique disseminaverunt; ac primum in libro protesta-

tionis XXXIV. Ministrorum, ita legimus: Sed iam audiamus istius gloriosi guber natoris præsentis Conciliabuli verba, quo modo, et secundum quam regulam ille cum suis sodalibus velit de Ecclesia, et Re ligionis controversijs iudicare, et statuere: sic enim in blasphemia verba erumpit, in quiens: Nos verò Dei de cælo sententiam expectabimus, actum istos pro sua, non pro Scripturarum sententia dimicantes, etiam tum ipsas Scripturas facessere iubebimus. Non oportet Legis, aut Scripturæ esse pe ritum, sed à Deo doctum, vanus est labor, qui Scripturæ impenditur. Scriptura enim creatura est, et egenum quoddam elemen tum, non convenit Christiano nimium creaturæ addictum esse. Quibus recita tis subijciunt Protestantes. Hac iste ne farius Antichristi Cardinalis Legatus, et in pij Conciliabuli Gubernator, contra

viventem Deum blasphemat.

Illyricus verò in libro de norma, et praxi Concilij Tridentini, postêquam illa eadem verba ex libro Carãina: is depromta repetiuit, ita illi bene precatus est: Dominus Iesus, inquit, obstruat igne infernali ista blasphemía ora Antichristi, et eius mancipiorum, et vindicet gloriam ab eorum tyrannide. Quid tibi videtur, candide Lector, an non est scelus inauditum, et audacia planè incredibilis in causa tam atroci, et tam perspicua, tam impudenter mentiri? Est in manibus liber, nec ulla est in verbis eius obscuritas, et si testimonium auctoris requiritur, ego ipse doctissimum illum senem aliquando dicentem audiui: Ego ita sentirem? ego talia scriberem? si mea illa verba essent, verè dignus essem, qui in medio foro cremarer.

Et placuit tamen non uni, aut duobus;
sed triginta quatuor simul Ministris
verba illa optimi viri in alienum sensum
ita detorquere, ut quæ Suuenckfeldij
sunt, Cardinalis ipsius esse crederen-
tur; qui mihi similiter fecisse viden-
tur, ac si aliquis modo contenderet
illa blasphema verba Judæorum de
Christo: Ecce homo vorax, et potator
vini, non est hic homo a Deo, qui Sab-
bathum non custodit, reus est mortis,
tolle, tolle, crucifige eum. Atque alia
his similia, non esse verba Judæorum,
sed Mathæi, aut Joannis, quod in eorum
Euangelijs reperiantur. Habes igitur,
quàm parui æstiment Concilia aduer-
sarij, et quot fraudibus, et calumnijs
eorum auctoritatem eleuare conentur,
qui tamen paucis ante annis gene-
rale Concilium tanquam unicum

remedium præsentium dissidiorum expetere videbantur.

Sed dicet aliquis fortasse, optabant illiquidem, atque optant etiam nunc generale Concilium, sed non eius modi, quale tridentinum fuit. Ita est; optant illi, generale Concilium, sed quale nunquam fuit. Explicat enij conditiones Concilij Philippus Melanchthon in eo libello, quem inscripsit, de causis cur Lutherani ad Concilium non accesserint, sed potissimum duæ sunt. Altera, ut ius suffragij etiam decisiui habeant omnes homines docti, siue Sacerdotes, siue Laici sint; quod est in Ecclesia Christi ad hunc diem inauditum, nec talis Concilij ullum exemplum proferent, præsertim, cum doctos homines vocent, quidum loquuntur, aut scribant,

aliquot verba Græca, aut Hebraica, Latinis admiscent. Altera conditio est, ut detur ab Imperatore salvus conductus, non solùm personis, sed etiam causæ, hoc est, ut nec personæ possint puniri, si nolint obtemperare Concilio; nec fides, et confessio Lutheranorum possit damnari, etiamsi Theologi Lutherani eam defendere non potuerint; quæ conditio et cum superiore apertissimè pugnat, et est ipsa per se inepta, et ridicula. Nam si nec personæ, nec sententiæ damnari possunt, nihil omnino in Concilio decernetur.

Quorsum igitur attinebat petere, ut etiam Laici suffragium habeant decisivum, si nihil est in Concilio decidendum? Et quorsum tot sumptus, tot pericula, tot labores in Concilio congregando? Quorsum ex

toto orbe terrarum Episcopi, et doctores vexantur, ut ad Concilium veniant? Quorsum tot dies in quæstionibus fidei proponendis, discutiendis, definiendis consumuntur: si postquam sunt omnia parata, adhuc licet unicuique Concilij decretum in controversiam revocare? Neque Philippus Melanchthon solus hoc docet, docuit ante eum Martinus Lutherus, docuere post eum Joannes Calvinus, Joannes Brentius, Martinus Kemnitius, Lutherani, et Calvinistæ omnes. Capite, inquit Lutherus artic. 115. ex quingentis articulis, hoc Evangelium, quia neque Papæ, neque Concilijs, neque ulli hominum commissum est, ut concludat, quid sit fides. Ideo debeo dicere, Papa tu conclusisti cum Concilijs; nunc habeo ego iudicium, an acceptare queam, necne. Et Calvinus libro

quarto Institut. capit. 9. §. 8. Quoties, inquit, Concilij alicuius decretum profertur, expendi primum diligenter velim, quo tempore habitum sit, qua de causa habitum, et quo consilio, quales homines interfuerint; deinde illud ipsum, de quo agitur, ad Scripturæ amussim examinari, idque meum modum, ut Concilij definitio pondus suum habeat, sitque instar præiudicij; neque tamen examen, quod dixi, impediat.

Itaque vult Caluinus, Concilij sententiam, præiudicium, non iudicium esse, deque ea sententia posse, ac debere quoscumque, et maximè priuatos homines iudicare. Quod idem alijs verbis Kemnitius, Brentius, et cæteri omnes docent. Quid verò est hoc aliud, quàm nolle iudicium ullum fieri? nol

le controuersias unquam finiri? nollent pacem et concordiam, sed bella, schismata, dissensiones, lites vigere perpetuò? Sed benè habet, nisi aliud dicerent, facilius laterent: hæretici certè non haberentur, Nunc verò ita se produnt, ut planè nunc sint cæci, qui eos hæreticos esse non vident; nam cùm hæresis ab electione dicatur, nulla est nota clarior, nullum certius signum hominis hæretici, quàm cum Ecclesiastico iudicio non acquiescit, sed ipse sibi est dux, ipse iudex, ipse dogma proprium eligit, quod sequatur. Fidei, obedientia comes est, mater humilitas. Hæreseos soror, contumacia, mater superbia est.

Quæ cùm ita sint, nostræ iam artes erunt, ut quantum operæ, industriæ, laboris in Ecclesiastica auctori

tate labefactanda hostes fidei po-
nunt, tantum nos in ea(m) asserenda,
ac vindicanda ponamus, et quoniã
ea in Summo Pontifice, et Episcopo-
rum Concilijs præcipuè cernitur,
et nos iam de Pontifice quinque
libris, pro ingenij nostri tenuitate,
disseruimus, nunc de Concilijs,
quanta maxima poterimus cla-
ritate, DEO duce atque auspice,
disseremus.

Finis.

Ebrietate.

Ebrietatem vocat Chrysologus serm. 26. Rabiem vo[illegible] "riam, hostem invitatum venenum [illegible] Damasc [illegible] 6 [illegible] "quam qui habet se non habet. Origenes homil. 7 [illegible] "Vitiorum matrem, causam interitus [illegible] Chrysost. Spo[illegible] "neum furorem, voluntariam calamitatem.

Aptissime obscænorum [illegible] in Bibliotheca, [illegible]. Hoc si fecit identidem avertetur præsentissima hæc animorum pestis, cui æquè de [illegible] corporum pestem amoliendam, nihil accommodatius igne luculento, quo aeri permistæ virulentæ fuligines ac venenati per vapores absumuntur. Raymundus [illegible].

5ª Oratio Rethorica In Libros tres de Membris Ecclesiae Militantis.

Ecclesia Catholica, optime Lector, uni trinoque Deo militans, atque, ut scripturae loquuntur, terribilis, velut castrorum acies ordinata, tribus potissimum ordinibus militum, Christo auctore distinguitur. Alij siquidem in hoc diuino exercitu Clerici, alij Laici dicuntur. Quidam etiam sunt, tum ex Clericis, tum ex Laicis, qui certis symbolis ac functione ab utrisque distincti, tertium ordinem faciunt, ac Regulares, siue Monachi nominantur.

Ordo primus ac nobilissimus Clericorum vel Duces habet, vel Ducum ipsorum famulos et ministros, licet enim Imperator Ecclesiae primus ac summus, Christus ipse sit, tamen quod non solum

in terris, sed etiam in caelis, et apud Angelos magnos exercitus habeat, quodque solis cælestibus præsentiam suam, ut par est, aspectabilem præbeat, huic autem Imperatorem, ac Ducem exercitui, qui est in terris, Apostolum Petrum, eiusque successores summo cum imperio, et potestate præfecit. Ergo Romanus Pontifex hæres Apostolorum Principis, castra cælestia in terris ducit, Christumque ipsum nobis mortalibus quodam modo repræsentat.

Proximi sunt Episcopi, qui tribunorum militarium locum sortiti, imperant etiam ipsi, non totis castris, sed agmini quisque suo. Siquidem in partem sollicitudinis, ut nostri loquuntur, vocati sunt, non in plenitudinem potestatis. Sub his Presbyteri, quos Parrochos dicimus, quasi quidam Centuriones singulis cohortibus præsunt; Diaconi, Subdiaconi, Sec-

tores, atque Administri cęteri, vel signa atque aquilas gerunt, vel tubis, ac tympanis accendunt ad prælium, vel huc atque illuc celeriter discurrentes, mandata Imperatoris ac Ducum ad milites perferunt.

Porrò Laici, hoc est, populus ipse fidelis, longè latèque toto campo diffusus, atque adversus Diabolum sub Christi signis in acie constitutus, quasi quadratum agmen efficit, atque statarias legiones. Omnes enim in Baptismo ad Christi militiam nomen dederunt, eiusque charactere insigniti, Sacramentum perceperunt. Omnes per sacram Confirmationem ad prælium iuncti, crucis signo muniti, atque armis cœlestibus donati, instructique sunt. Denique, omnes de mensa Domini opulentissimo commeatu, amplissimoque mercedis

pignore in Eucharistia percepto, bellu
æternum Diabolo, atque omnibus
eius copijs indixerunt.

Jam verò Regulares ac Monachi, ne-
que uno in loco degunt, neque ijsdem muneribus
destinantur, sed alij in montibus et turribus qua-
si vigiles quidam perpetuo excubant, et clamore
propè assiduo hostes exterrent; alij tanquam de-
uoti milites ante ipsam aciem longè progredi-
untur, castraque hostilia audacter infestant;
quidam etiam sunt, quos Anachoretas nominare
solemus, qui diuina quadam virtute præditi,
seorsim à ceteris in aperto campo, locisque deser-
tis ad singulare certamen hostem prouocant, nec
rarò eundem Christi ope gloriosè prosternunt.

Hæc igitur est Ecclesia Dei vivi, hæc sunt Cas-
tra Sanctorum, tribus militum ordinibus ab
ipsa Dei sapientia diuino planè consilio disposi-
ta atque distincta, quæ quidem licet aduersus
omnes hostiles acies insuperabilia, atque invic-

ta consistant, neque ullam, siue humana, siue diabolicam vim sub omnipotentis Imperatoris praesidio pertimescant: non tamen Satanas sibi ipse deest, circuit, quaerit, obseruat, insidiatur, nullam nocendi elabi sinit opportunitatem: non potest ille Dei exercitus profligare, conatur tamen: non sperat victoriam, at non desinit lacessere: non fundet unquam Christi copias, nec delebit, at confundere, et perturbare nouis, ac varijs stratagematum formis, et libris, et sermonibus haereticorum, non cessat. Hinc enim haeretici huius temporis plane omnes Clericos cum Laicis, ita confundunt, ut ne nomen quidem Clericorum, (de quare paulo post agemus) superesse patiantur.

Designant illi quidem certos homines, quibus docendi munus, Sacramentorumque administrationem permittunt, quos etiam Ecclesiae Ministros vocant: At eos nec populis cum potestate praeesse, nec legibus continentiae astrin-

gi, nec à tribunalibus politicis liberos esse volunt:
sed Laicorum more, iungere connubia, filios /
procreare, seculi huius negotia exercere, ad fora,
et iudicia pertrahi, inuitis etiam Summis Antisti-
bus, iubent. Nam de consecratione, atque unc-
tione Pontificum, de tiaris, infulis, pedis, de
pallijs, tunicisque sacratis, de corona capillorum,
de reliquo apparatu, qui ad officium exornandum
Ministrorum Dei, atque ad ornatum Ecclesias-
ticum à cultu profano pertinet distinguendum,
nihil commemorare necesse est. Haec enim om-
nia adeò confidenter aspernantur, ac de medio
tollunt haeretici, ac si ea certissimis rationibus,
cum ne probabiles quidem attulerint, super-
stitionem redolere Judaicam demonstrassent. Mo-
nachos autem in universum omnes, siue Ana-
choretae, siue Coenobitae illi sint, nec minus om-
nia Monastica instituta, ritus, vota, consuetu-
dines, vestes functiones, et ipsa etiam vocabu-
la execrantur. Neque aliud esse vult Cal-

vinus, lib. 1. Institutionum, cap. 13. Monaste-
ria Coenobitarum, nisi lupanaria sceleratorum, vel conventicula schismaticorum.
Anachoretas autem, Magdeburgenses Centuriatores Centuria quarta, cap. 6. et 10. monstra quaedam humana; vel ursos potius, ac Misanthropos appellandos censuerunt.

Soli restant Laici, quibus etsi minimummodum adulentur Lutherani, ut ea ratione maior Clericis, ac Monachis conflетur invidia, veruntamen adsunt Anabaptistae, qui nec Laicis parcunt, dum iurisdictione magistratus, magistratibus urbes, urbibus genus humanum spoliant, atque ad eam formam regimen universum revocant, quae non modo Reipublicae ipsorum, sed ipsi etiam generi humano, si passim etiam recipiatur, extremam ruinam, atque exitium possit afferre. Sed enim haud scio, plus ne Laicis Anabaptistae noceant vexando, ac detra-

hendo, ac cumulando, et blandiendo Lutherani. Detrahunt illi populo Christiano politicam potestatem, sine qua salus Reipublicae terrena in apertum discrimen, interitumque vocatur: Augerit contra Lutherani eundem populum etiam Ecclesiastica potestate, ut nimirum ducantur Pastores ab ovibus, et imperent Imperatoribus milites, atque interim pereat res Christiana, pereat Christi regnum, pereant animae, quarum salutem propria vita, et sanguine Dei Filius emerat.

Quae cùm ita sint, ad omnes pertinet, qui in Ecclesia Catholica Doctoris munere funguntur, impijs haereticorum conatibus, vel Satanae potius consilijs, et furori occurrere, et omnes Ecclesiae partes, omnia membra, omnes ordines pro viribus protegere, ac tueri: à nobis verò non modò charitas Christiana, et onus à maioribus impositum flagitat, sed etiam cogit ordo Disputationum,

ut ad eas controuersias explicandas aggrediamur, quæ sunt de tribus illis Ecclesiæ partibus, id est, Clericis, Laicis, Monachis, ab hæreticis huius temporis excitatæ. Quando enim pro capite militantis Ecclesiæ, pro que ipsa Ecclesia, tum in Concilijs congregata, tum etiam diffusa toto orbe terrarum, pro nostrarum virium tenuitate pugnauerimus: Illud unum est reliquum, ut pro membris eiusdem Ecclesiæ, pro nostra virili parte dimicemus, et Christo duce, atque imperatore, omnia hostium tela clypeo veritatis, et gladio verbi Dei discutiamus.

Finis.

6ª Oratio Rethorica
De Monachis.

Disseruimus Libro superiore de Episcopis, et Clericis, id est, de prima, et nobilissima parte corporis Ecclesiastici. Sequitur, ut de altera parte Ecclesiæ, hoc est, de ijs hominibus disseramus, qui Euangelica Christi sequuti consilia, vitæ genus arctioris, ac sublimioris instituunt, quàm aut lex diuina, vel humana præscribat, aut etiam multorum mortalium infirmitas patiatur. De quo hominum genere disputationem ingrediar, si pauca prius de huius disputationis ipsius utilitate, vel potius necessitate, dixero.

Quamquam enim monastica vitæ instituta, non ad omnes Christianos pertinent, defensio tamen tàm magna, et tàm excellentis partis Catholicæ nostræ Ecclesiæ, ad eos omnes communiter pertinent, qui Chris-

[illegible] Iobij [illegible] Monachi cognomento [illegible] [illegible] [illegible] spem [illegible] [illegible] [illegible] numer[illegible] Habitum expungens vel commassans Sacramentum Pani[illegible] Sacramento [illegible] Vnctionum, [illegible] ab [illegible].

tianam [illegible] cupiunt. Maxi[illegible] hanc partem petunt, ac ut monasticem vituperent, portentosa mendacia quotidie de Monachis fingunt, et quacumque oblata occasione in Monachos inuehuntur, atque eos in odium vulgi rapiunt, et primarios Antichristi satellites vocant, non eò certè spectant, ut ordines solùm hominum religiosorum disjiciant, monasticemque de medio tollant, sed ut Ecclesiam totam hac ratione perturbent, ac lædant, eamque (si fieri possit) à fundamentis euertant. Intelligunt enim, si contra Monachos causam obtinuerint, idest, si populo Christiano persuaserint, non à Christo institutos, sed à malo dæmone excogitatos ordines religiosorum fuisse, se continuò id effecturos, ut uniuersa Ecclesia, quæ una voce, et consensu tot iam seculis monasticen approbauit, vano errore delu-

sa, pro Christo Antichristum coluisse, et à rectæ fidei, veræque doctrinæ tramite, quàm longissimè aberrasse videatur.

Neque verò novum est hoc hæreticorum adversus Monachos bellum, neque recens mali dæmonis artificium, per monasticæ vitæ oppugnationem Ecclesiam universam petere. Sicut enim quotquot fuerunt unquam pij Scriptores, tum sermonibus, tum scriptis libris, hoc genus vitæ laudibus in cælum tollere conati sunt, sic nulli ferè unquam hæretici extiterunt, qui vel nomen Monachorum patienter audire potuerint. Quando vos (inquit Beatus Augustinus in Psal. 132) rectè hæreticis & Circumcellionibus insultare cœperitis, ut exubescendo sanetur, illi vobis insultant de Monachis. Primò, si comparandi sunt, vos videte: quid opus est, ut verbis nostris comparentur ebriosi cum sobrijs, præcipites

cum consideratis, furentes cum simplicibus, vagantes cum congregatis; sed tamen dicere consueverunt, quid sibi vult nomen Monachorum? quanto melius dicimus nos, quid sibi vult nomen Circumcellionum? Et rursus, de Petiliano hæreticorum principe, idem August. lib. adversus Petilianum 3. c. 40. Deinceps, inquit, perrexit ore maledico in vituperationem monasteriorum, et Monachorum, arguens etiam me, quod hoc genus vitæ à me fuerit institutum.

Jam verò Ariani tanto furore bacchabantur in Monachos, ut ipsas etiam desertissimas solitudines locaque maxime abdita, et recondita penetrarent, ut Monachos quærerent, raperent, atque occiderent. Sic enim de Lucio Episcopo Ariano scribit Ruffinus lib. hist. 11. cap. 3. Inde, inquit, ad monasteria furoris sui arma convertit, vastat eremum, et bella quiescentibus indicit. Ter mille simul,

aut eo amplius, viros per totam ~~simi~~ solitudinem secreta, et solitaria habitatione dispersos, oppugnare pariter aggreditur. Mittit armatam equitum, ac peditum manum: Tribunos, Praepositos, et bellorum Duces, tanquam adversus Barbaros pugnaturus, elegit. Qui cum venissent, novam belli speciem vident, hostes suos gladijs obiectare cervices, et nihil aliud dicere, nisi: Amice ad quid venisti? De Valente Imperatore pariter Ariano in Chronico B. Hieronymus annotavit, usque adeo illum odisse Monachos, ut lege data, Monachos omnes, aut arma sumere, militesque fieri, aut fustibus caedi, mactarique decreverit.

Sed nimis longum esset, si omnia, veterum haereticorum, ac praesertim Imperatoris Constantini Copronymi, et caeterorum veterum Iconomachorum in sanctos illos Monachos, aut improbe dicta, aut

crudeliter facta commentarem. Quid igitur, ut ad posteriora tempora descendamus, Joannes Vviclef de Religiosorum ordinibus sensit? nempe omnes ad unum à diabolo in Ecclesiam introductos, et Augustinum, Benedictum, Bernardum ad inferos esse damnatos, nisi pœnitentiam egerint, quod Monachi, et Patres Monachorum fuerint. Sic enim habent articuli eius postremi in Concilio apud Constantiam reprobati. Quid Martinus Lutherus? nonne tertio quoque verbo in omnibus scriptis suis, quæ sanè quàm plurimam extant, monasticen lacerat? At, ut alia prætermittam, quæ suo loco postea afferentur, certè in Epithalamio illo suo, plus quàm credi posit, obsceno, et sordido, quod in caput septimum epistolæ prioris ad Corinthios scripsit, qui cœlibem vitam in monasteriis ducunt, eos omnes idolo Moloch corpora sua cremare confirmat. Et in eos

libro statum religionis nihil valere, sed Ethnichum, terrenum, secularem, ac veluti lutum esse dicit, cùm è contrario statum coniungij spiritualem, cœlestem, diuinum, atque aureum esse prædicet. Joannes Caluinus lib. Institut. 4. cap. 13. rē totam breuiter ita definit, ut esse velit monasteria lupanaria; vota monastica retia Satanæ; Monachos omnes sophystas cucullatos, qui ab Ecclesia dissensionem fecerint, et se totos diabolo consecrauerint. Philippus Melanchthon in Apologia pro confessione Augustana, articulo de votis, vota atque opera Monachorum nunc obseruationes fatuas, nunc hypocriticas simulationes, nunc etiam traditiones Pharisaicas, atque Mahumeticas vocat. Magdeburgenses Centuriatores in 10. cap. 4. Centur. posteaquam multorum, veterum Eremitarum vitas,

et res gestas breviter descripserunt, in hæc verba sermonem claudunt: Sed quis, inquiunt, non hæc hominum monstra expectetur, ut inimicos humanæ societatis, et contra totam secundam tabulam delinquentes? Et illud interim omittam, quòd partem non modicam ingentium illorum voluminum in Monachorum vituperatione consumunt, quos ubique hypocrisis, ubique superstitionis, ubique impietatis accusant.

Sed quid obsecro, Lutheranos in tàm apertum, tamque implacabile bellum contra Monachos impulit? Quid eis Monachi nocuerunt? quid rapuerunt? quid illis debent? Nonne, si saperent, ingentes gratias potius regno Monachorum, ut ipsi vocant, agere deberent? Ex quo nimirum Apostolus ille Germanicus, tertius Helias, totque alij illustres Prophetæ, atque Evangelistæ, tanquã

ex equo troiano prodierunt. Unde enim habet Lutherum, Pomeranum, Bucerum, Pellicanum, Kunstetum, Rrenium, Kruskulum, Kriconium, Oecolampadium, Martyrem, Ochinum? Nonne ex Monasterijs? Quamquam si verum fateri volumus, non monasteria tot nobis hæreticos pepererunt, sed ipsa potius pestis hæreseos, monasteriorum desertores fecit.

„ Sed quid miramur, si filij tenebrarum lucem religionis æquis oculis intueri non queunt: si desertores militiæ, castra Sanctorum oderunt: si fugitiui, ac perfidi, stantes in acie commilitones suos exhorrent; si denique principis tenebrarum, primique cælestis militiæ desertoris, ac transfugæ, discipuli eius, ac filijs opera imitantur? Nam (ut apud Athanasium magnus ait Antonius) omnes quidem Christianos Diabolus odit, sed probos Monachos, Chris-

tique virgines tolerare nullo modo potest. Hinc illæ voces Abbatis Sereni apud Cassianum Collat. 7. cap. 23. *In ipsis, inquit, cænobijs, in quibus commorabantur octo, vel decem, ita dæmonum atrocitas grassabatur, et frequentes, ac sensibiles sentiebantur aggressus, ut non auderent omnes pariter noctibus obdormire, sed vicissim, alijs degustantibus somnium, alij vigilias celebrantes, Psalmis et orationibus, seu lectionibus inhærebant, cumque illos ad soporem naturæ necessitas invitaret, expergefactis ad eorum qui dormituri erant, custodiam, similiter excubiæ tradebantur.*

Habetis, quid hæretici tam veteres, quàm recentes, et quid etiam ipse pater eorum diabolus de Monachis censeat. Nunc de iisdem quid censeant Patres, quid etiam Christus, et Deus, meritò à me requiri, atque expectari video. Sed quoniam plurima huius generis testimonia,

in ipsa disputatione sæpius nobis erunt necessario afferenda: nunc duobus tantum duorum clarissimorum utriusque Ecclesiæ luminum testimonijs contentus, rem totam, quàm breuissimè fieri poterit, expediam. Prodeat igitur in primis totius Græciæ eximium decus S. Joannes Crysostomus; is enim, et pro vita monastica defensione tribus integris libris acerrimè decertauit, et ubique solitudines, ac Monasteria ita splendidè, magnificeque laudat, ut illa Regnis, atque Imperijs, et ipsi etiam Paradiso, ac Cælo non dubitet anteponere. Denique homil. 8. in Matth. Siquis, inquit, nunc ad Ægypti veniat solitudines, paradiso prorsus omnem illum eremum videbit digniorem, et innumerabiles Angelorum cœtus in corporibus fulgere mortalibus: est enim cernere tota illa regione diffusum exercitum Christi, et admirabilem illum regium gregem, virtutumque cælestium conuersationem in terris micantem. Atque hæc non in viris solùm, verum etiam in fœminis splendere conspicias. Non ita

varijs astrorum choris cælum refulget, ut Ægyptus innumeris Monachorum, ac virginum distinguitur, atque illustratur habitaculis. Quanta hæc est laus? et à quanto viro, quanta verborum maiestate profecta? Sed iam B. Augustinum totius occidentis clarissimum lumen audiamus.

Is igitur in libro de moribus Ecclesiæ 1. cap. 31. Monachorum vitam, tum Eremitarum, tum Cœnobitarum, Manichæis perfectionem iactantibus obijciens: Nihil, inquit, de ijs dicam, qui secretissimi penitus ab omni hominum conspectu, pane solo, qui + fuentes colloquia Dei, cui puris mentibus inhæserunt, et eius pulchritudinis contemplatione beatissimi, quæ nisi Sanctorum intellectu percipi non potest. Nihil (inquam) de his loquar, videntur enim nonnullis res humanas plus quàm oporteret, deseruisse, non intelligentibus, quantum nobis eorum animus in orationibus prosit, et vita ad

+ eis per certa intervalla temporum affertur, et aquâ contenti, desertissimas terras incolunt, perfruentes

exemplum, quorum corpora videre non sinimur. Sed hic disputare longum, et supervacaneum puto: nam hoc tam excellens fastigium sanctitatis, cui non sua sponte mirandum, et honorandum videtur, oratione nostra videri qui potest? Sed si hoc excedat nostram tolerantiam, quis non illos miretur, et prædicet, qui contemptis, atque desertis mundi huius illecebris, in communem vitam castissimam sanctissimamque congregati, simul ætatem agunt, viventes in orationibus, in lectionibus, in disputationibus; nulla superbia tumidi, nulla pervicacia turbulenti, nulla invidentia lividi, sed modesti, verecundi, pacati, concordissimam vitam, et intensissimam in Deum, gratissimum ipsi munus offerunt, à quo ista posse meruerunt. Nemo quidquam possidet proprium; nemo cuiquam onerosus est. Latres verò non solùm sanctissimis moribus, sed etiam diuinâ doctrina excellentissimi, nulla superbiâ consulunt his, quia

filios vocant, magna sua in iubendo auctoritate, magna eorum in obtemperando voluntate. Ac demum post alia multa finem faciens, ait: Hos mores, hanc vitam, hunc ordinem, hoc institutum si laudare velim, neque digne valeo, et vereor, ne iudicare videar, per se ipsum tantummodo expositum placere non posse, si super narratoris simplicitatem cothurnum etiam laudatoris addendum putavero. Quàm dissimilia sunt hae verba Catholicorum Patrum ijs, quae ex Luthero, et Calvino paulò ante recitavimus! nimirum, hic fides, ibi perfidia; hic sapientia, ibi stultitia; hic gravitas, ibi furor; hic Deus, ibi Diabolus loquebatur.

Neque verò Deus per voces, et scripta solùm Catholicorum Patrum, sed etiam ipse per se sanctitati, atque praestantiae ordinum Religiosorum testimonium tulit. Quid enim de hoc vitae genere Deus censeat, testantur in

primis diuinæ illæ, amplissimæque promissiones, quæ partim in Prophetis, partim in Euangelijs extant, quibus (Matth. 19. Marc. 10. Luc. 18. Isa. 56) centuplum in hoc sæculo, sedes honoraria in iudicio; locus et nomen in regno cælorum maius, atque nobilius, quàm filiorum, et filiarum sit, huius disciplinæ cultoribus Dominus pollicetur: testantur deinde hoc idem diuina signa, atque prodigia. Certè enim post Apostolica tempora splendore maximorum signorum, iudicio orbis terræ, semper clarissimi habiti sunt Magnus Antonius, uterque Macharius, Hilarion, Benedictus, Bernardus, Franciscus, Dominicus. At ij omnes sine controuersia professione Monachi fuerunt.

Quanta igitur, et quàm proiecta est audacia, sanctissima instituta, à Deo ipso de cælo signis, atque prodigijs clamante, et approbante, confirmata, adhuc tamen animis

obscuritatis contemnere, improbare, reijcere, conspuere, lacerare? Vt interim omittam, quod hac ipsa instituta longe ante Helias, et Ioannes adumbrarunt, Christus consuluit, Apostoli coluerunt, Sancti ferè omnes adamarunt. Exceptis enim sacris Martyribus, rari omnino in numerum Sanctorum relati leguntur, qui ex Monasterijs non prodierint. Vt mihi iam monastica vitæ approbatio inter eas notas, ac Symbola, quibus Ecclesiam Catholicam ab omnium hæreticorum conuenticulis internoscimus, atque distinguimus, principem locum tenere, clarissimeque eminere videatur. Quod Sanctus ille Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus Petrus probè intellexit, cum auctore Theodoreto lib. hist. 1. cap. 20. ex eo potissimum demonstrauit, Lucium quendam non Episcopum, non Catholicum, sed hæreticum, hostem, lupum, et inuasorem esse, quòd cum nulli Monachi more Ecclesiæ sacros Hymnos concinentes, ad solium Pontificale deduxerint,

Epistomabat enim magnus ille Pontifex, ita partem veræ Ecclesiæ esse ordines Monachorum, ut Episcopus Ecclesiæ haberi non posset, qui secum Monachos habere noluisset.

Quæ cum ita sint, intelligi profectò facilè potest, ita causam Monachorum cum Ecclesiæ causa esse coniunctam, ut nemo unquam Ecclesiæ hostis fuerit, qui non bellum eodem tempore Monachis omnibus indixerit. Quare à nobis Mater nostra Ecclesia Catholica petere ~~nihil~~ mihi videtur, ne nos ab hostibus diligentia, studioque vinci patiamur, sed quantum illi dies, ac noctes legendo, et scribendo laborant, ut aliquod Ecclesiæ, vel eius partibus, ac membris detrimentum afferant, tantum nos operæ, et laboris in omnibus Ecclesiæ partibus sartis tectisque conservandis collocemus; præsertim cùm nos apud Deum clarissima iustitiæ, fideique corona, illos

pœna sola perfidia, atque scelerum apud inferos maneat. Nunc ad rem ipsam propius accedamus.

Omnis hæc de Monachis disputatio septem præcipuis capitibus, seu quæstionibus continetur. Quibus quæstionibus una eademque opera explicabuntur nomina, origo, natura, partes, proprietates, et actiones vitæ religiosæ; et simul ad ea omnia respondebitur, quæ adversarij nostri in Monachis, et eorum ordinibus reprehendunt.

Prima igitur quæstio erit de origine, ratione, et varietate Religionum. Nec enim verentur adversarij asserere, ordines Religiosorum, rem esse recens in Ecclesia invectam; et idem esse dicere; Ego sum ordinis B. Augustini, ego Benedicti, ego Dominici, ego Francisci, ac dicere; ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cepha; quod Apostolus in Corinthijs gravissimè reprehendit, ut etiam illos propterea seditionis, schismatis, atque hæreseos nota-

re non vereatur.

Secunda quaestio erit de Consilijs Euangelicis, quae sunt quasi bases, et fundamenta totius monastici edificij. Horrent enim haeretici ad vocem consiliorum, et operum supererogationis, tanquam ad ingentem blasphemiam. Id quod necessariò faciunt; cum enim arbitrentur ipsi, praecepta diuina non posse à quoquam, tametsi iustissimo, unquam impleri, non possunt non vehementer mirari, cùm nos dicere audiunt, veros Religiosos non solum praecepta, sed etiam consilia adimplere, et plus facere, quàm Deus praecepit.

Tertia quaestio erit de votis monasticis. Cùm enim aduersarij putent, Deo nihil placere, nisi quod ipse fieri iussit, omnia vota, quae de rebus à Deo non imperatis suscipiuntur, tanquam superstitiosa, et inania reprehendunt: imò apertè votum continentiae sacrificium Moloch, votum paupertatis meram stultitiam, votum obedientiae summam temeritatem esse volunt.

Quarta quæstio erit de votis, quæ filij invitis parentibus, et coniuges invito altero coniuge, aliquando suscipiunt. Nam cum Deus mandauerit honorari parentes, et non separari quod Deus coniunxit, grauiter nos accusant, quòd filios inuitis parentibus Monachos fieri patiámur; et matrimonia, licet nondum consummata, tamen rata, et firma, propter monasticam professionem dissoluamus.

Quinta de solitudine, et summa vitæ seueritate Eremitarum. Eremitas enim aduersarij ursos, ac misanthropos vocant, propter solitudinem: propter eam autem seueritatem, qua plurimi eorum unquam cilicium exuebant, solis radicibus vescebantur, humi cubantes somnum breuissimum capiebant: nonnulli etiam integris hebdomadibus ieiunabant: alij ferreis catenis se onerabant: quidam in editis columnis perpetuò consistebant; eos omnes execrantur, tanquam sui ipsorum homicidas et illius Apostolici præcepti transgressores: Habeto honorem corporis quo præcepto nullum ipsi religiosius, ac sanctius colunt.

Sexta de habitu, et tonsura. Mirum enim superstitionem in eo positam esse credunt, quod Monachi semper idem vestimenti genus, eadem forma, eodem colore, eadq magnitudine gerant, et eodem semper modo, qui sunt eiusdem ordinis, tondeantur.

Septima de opere monachorum. Existimant enim adversarij, de natura et ratione vera monasticæ professionis esse, ut Monachi omnes labore manuum victum quærant, et idcirco eos omnes, quid id non faciunt, tanquam suæ ipsius professionis corruptores, falsosque ac degeneres Monachos arguunt, et malum, et illicitum esse docent, tam sponte sua ad mendicitatem venire, quàm mendicatione victum colligere.

Scripserunt de hoc argumento S. Joannes Chrysostomus in tribus libris contra vituperatores vitæ monasticæ; Joannes Cassianus in libris de institutis Cœnobiorum; Albertus Magnus in defensorio mendicantium; D. Thomas in opusc-

culo 13. quod est contra impugnantes Religionem B. Bonauentura in Apologia pauperum, et libro de paupertate Christi; Thomas Waldensis lib. 3. et 4. de doctrina fidei, et de sacramentalibus, tit. 9. Albertus Pighius controversia 14. Alphonsus Viruesius Philippica 20. Alphonsus à Castro in libris contra hæreses, verbo Mendicitas, verbo Monachus, et verbo votum; Joannes Bunderius in suo compendio concertationum, tit. 34. Conradus Kollin in euersione Epithalamij Lutherani; Joannes à Dauentria in refutatione Confessionis Augustanæ; Joannes Eckius in Enchiridio, et in conclusionibus de votis: Franciscus Orantius, lib. 5. de locis Catholicis: Gaspar Schatzgerus, lib. 12 cap. ult. et lib. 2. cap. 4. suarum Controuersiarum: Joannes Hoffmeisterus contra art. 27. Confessionis Augustanæ: Jacobus Latomus libro de Monachorum institutis, et votis:

Joannes Cochlaeus libro de votis, et in discussione artic. 27. Confessionis Augustanae; Jodocus Clichtoueus, lib. 3. Antilutheri: Alanus Copus Dialog. 2. Matthaeus Galenus de origine monasticae: Richardus Cenomanus in antidoto ad censuram Erasmi in regulam S. Augustini: Franciscus Turrianus libris duobus de votis monasticis: Guilielmus Lindanus lib. 1. cap. 28. Panopliae.

Finis.

De filijs Israel c. 1. Exo. 1. Quanto opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur et crescebant. In Christianam falce eshni[illegible] demessi, [illegible] observ[illegible] ser. [illegible]ianus, cum Paganis insultaret, ac [illegible] Plures efficimur, quoties metimur à vobis: semen est, sanguis Christianorum.

7.ᵈᵃ Oratio Rethorica de Ecclesia Triumphante, siue de Gloria et Cultu Sanctorum.

Peruenimus tandem ad eam Ecclesiæ Catholicæ partem nostris disputationibus illustrandam, atque ab hæreticorum non tam argumentis, quàm mendacijs, et calumnijs, vindicandam, quæ in cælo beata cum rege suo Christo æuo sempiterno fruitur. Quamquam enim beatæ illæ sanctorum Angelorum, atque hominum mentes humana defensione, præsidioque pro se non egent, cùm in altissimis, et tutissimis arcibus collocatæ de uniuersis hostibus suis nouos quotidie triumphos agant, ac (ut Sanctus loquitur Cyprianus) prorsus de sua fœlicitate securæ, solùm de nostrâ sint incolumitate solicitæ: Nobis tamen perutile est, ac, ut verius dicam, multis nominibus necessarium, ut Sanctorum gloriâ orbi terrarum nota, atque perspecta, et omni ido-

Unus Vir probus, et sanctus, juxta S. Chrysostom. apud Deum, rerum omnium æstimatorem optimum pluris est, quam Orbis universus.

laudata caligine, quam illa aspergere, atque offundere conantur haeretici, purgata omnino, et libera emineat, atque splendeat.

Quia verò non panegyricam orationem de Sanctorum laudibus instituimus, sed ingressum duntaxat ad futuram disputationem nostram hac praefatiuncula aperimus: dicam solùm, et paucis, de mendacijs, et conuicijs haereticorum in Sanctos, quorum illa ad ipsorum haereticorum insaniam curandam magnum afferunt impedimentum; ista non solùm Ecclesiam insigni patrocinio spoliant, sed etiam grauissimam iustissimamque diuini Numinis iram mortalibus omnibus conciliant.

Et enim multa sunt, quibus à nobis huius temporis haeretici dissident; multa illi in nostra Ecclesia, templis, monasterijs, gymnasijs, dogmatibus, ritibus, hominibus denique omnium ordinum reprehendunt, multa de-

siderant, multa carpunt, multa emendanda,
et corrigenda esse clamitant: sed nihil est, quod
exhorreant, et execrentur magis, quàm in-
uocationem Sanctorum, reliquiarum cultu,
imaginum venerationem. His enim tribus ma-
nifestam impietatem, et idolatriam contine-
ri volunt. Hoc uno veluti pallio discessio-
nem suam à nobis, hoc est, impiam ab Eccle-
sia Catholica separationem et defectionem,
honestissimè tegere se arbitrantur. Hoc solo
nomine latrocinia sua, et sacrilegia in Ec-
clesias, templorum direptiones, imaginum
confractiones, sacerdotum cædes, sacro-
rum omnium profanationes defendunt, quod
se bellum gerere contra idola proprietate
dicant. Hac ipsa de causa censuram æquis-
simam Ecclesiæ, et pastorales baculos Episco-
porum, quibus interdum ipsorum furor re-
primitur, vel retardatur, impiam perse-
quutionem, quasi aduersus Deum pro idolis
excitatam nominant: his denique vinculis,

et compedibus prouincias, et nationes à se deceptas arctissimè irretitas, et constrictas tenent.

Sic enim populis illis persuasum est, nos pro Deo vivente mortuos homines; pro summo et sempiterno Spiritu ôssa, et cineres, ligna, et lapides colere: et tam altè mentes eorum perniciosa haec persuasio penetrauit, ut propterea iniusta quidem, sed tamen graui, diuturnaque apud eos laboremus infamiâ. Et licet multa interdum de nostrorum, hoc est, Catholicorum hominum grauitate, sapientia, iustitia, benignitate, et studio peccandi, et moderatione in rebus omnibus audiant, nonqueant tamen non continuò ab eiusmodi sermonibus aures remouere, sequè totos auertere, cùm ad memoriam reuocant de quibus tam eximiae laudes praedicantur, eos nihil ominus idolatras esse, defunctorum manes, et cadauera, picturasque, et statuas adorare.

Atque, ut fides mihi faciliùs habeatur, neque me quisquam augendi gratia fingere aliquid

arbitretur, referam pauca ex libris eorum, ut ipsos eosdem suæ impietatis præcones, ac testes habeamus. Primùm Lutherus sectariorum omnium antesignanus, et princeps, in eo sermone, quem de cruce edidit, tanquam ex tribunali pronunciat: Quoniam reliquiæ Sanctorum nihil sunt aliud, quàm fidelium seductiones, ne deinceps populi Deos aliénos colant, placere sibi, ut omnes eiusmodi reliquiæ altissimè sub terram abscondantur: ut ea ratione videlicet omnis Apostolorum, et Martyrum, aliorumque Sanctorum in terris memoria aboleatur. Idem in Postilla ad Evangelium Dominicæ Annuntiationis: Papistæ, inquit, Virginem Mariam Deum constituunt, omnipotentiam ei in cælo, et in terra atribuunt. Et rursum: In Papatu omnes se ad Mariam contulerunt, et plus favoris, et gratiæ ab ea expectarunt, quàm à Christo ipso.

Hinc Philippus Melanchthon Lutheri

proles, et sectator egregius, cum in locis Communibus primum decalogi praeceptum exponeret, et gradus quosdam peccatorum distingueret, nosque, hoc est, ut ipse loquitur, Papistas, cum infidelibus iungeret, hac una ratione contentus fuit, quod idem sit, fingere multos Deos, et Sanctos mortuos inuocare; nec differant ab Ethnicis moribus inuocatio Sanctorum, et statuarum cultus.

Iam vero Magdeburgenses Centuriatores, posteaquam in posteriore prima Centuria libro inter fundamenta doctrinae Catholicae posuerunt, Beatae Mariae, aliorumque Sanctorum inuocationem, et cultum ab Apostolis non solum verbo, aut exemplo nunquam approbatum, sed etiam, ut manifestam idolatriam passim reprobatum fuisse, atque interdictum: Inde postea in singulis ferè Centurijs nihil saepius monent, clamant, repetunt, inculcant, quàm nos Ecclesiam non habere, quòd ab uno verò Deo ad falsorum

Deorum multitudinem, et simulacra mutade-
fecimus. In prefatione verò sexta Centuria,
ubi grauiter admodum, et planè tragicé deplo-
rant statum, siue casum potius, et ruinam Eccle-
sia, quàm secundo, et tertio seculo vitium face-
re incipientem, quarto et quinto inclinatam,
et nutantem, sexto demum penitus corruisse,
miserèque collapsam esse volunt; de causa tam
grauis exterminij ita concionantur.

In primis, inquiunt, istæ horribiles, et per-
niciosæ tenebræ in ipso docentium cætu, quasi
nubes quædam atra, totum cælum occu-
pantes exortæ sunt; quod cæremonias cul-
tusque humanos partim ipsimet Doctores Eccle-
siæ, partim verò alij superstitiosi homines pas-
sim in templis auxerunt. Nam ædes sacræ om-
nibus in locis extrui cæperunt ingentibus
sumptibus, prorsus Gentilium more. Non
quidem principaliter eo finé, ut ibi verbu
Dei traderetur, sed ut reliquijs Sanctorum

aliquis honor exhiberetur, utque ibi defunctos stolidi homines venerarentur. Quàm verò facundus est Gregorius ille, Magnus appellatus, quam ardens, quando rationem consecrandi ista fana veluti ex tripode dictat. Et infrà: Cœperunt ea ocasione etiam defuncta creatura, atque exsanguia, et semicorrosa ossa coli, invocari, honore divino affici, et alligari ad illa ipsa loca preces. Ad ista omnia non modo connivebant Ecclesiæ Doctores, sed etiam ea adiuvabant. Eiusmodi igitur calamitas, et pestis fundi Christi, in ipsa Ecclesia, et inter eos, qui custodes, et vigiles Ecclesiæ præcipuè volebant perhiberi, nascebatur.

Porrò Joannes Calvinus, qui post multas, gravissimasque cum suis disceptationes, maximam partem Lutheranorum in sua [illegible] pertraxit, et tantum non regnum aliquod inter Lutheri pastores obtinuit; in eo libro, quem de reformanda Ecclesia necessitate

ad Imperatorem Carolum inscripsit, primam et maximam dissensionum causam inter suos et nostros esse dicit, quod sui, hoc est omnes huius temporis sectarij unum Deum colant, nostri, hoc est, Catholici, sic inter Sanctos distribuerint Dei officia, ut summo Deo, tanquam collegas eos addiderint, in quorum multitudine delitescat; quodque non solùm Sanctos locos Dei adorent, sed etiam ipsorum ossa, vestes, calceos, et simulacra. In libro verò Institut. 1. cap. 21. causas recensens, cur à nobis discessionem cum suis fecerit, illam in primis ponit, quòd nullum nobiscum conventum habere possint, in quo aperta idolatria non polluantur. Quàm autem apud nos vigere idolatriam dicat, ex cap. 20. lib. 3. potest intelligi, ubi de Sanctorum invocatione loquens. Singuli, inquit, peculiares sibi Divos asciverunt, in quorum

non secus, atque tutelarium Deorum fidem se contulerunt: Neque modo (quod olim Israeli exprobrabat Propheta) secundum numerum urbium Dij sunt erecti, sed secundum capitum multitudinem.

Incidi aliquando in hominem de schola Caluini, qui cum mihi alioqui perhumanus, et candidus videretur, eoque uterer familiariter, ut eum, siquomodo possem, ab illa insania reuocarem, cœpi ab eo quærere, quid in nostris dogmatibus, Caluinistæ potissimùm reprehenderent, quidue eis maximè displiceret, et quæ tandem præcipuè esset causa, cur ab Ecclesiæ communione, ab Episcoporum obedientia, à reliquo cœtu fidelium, à maiorum suorum vestigijs, cum tam manifesto salutis æternæ periculo discesserint? Respondebat ille, eam esse causam præcipuam, quòd nos sanctos in precibus inuocaremus, quodque eo modo Diui-

nitatem mortuis affingeremus. At hæ imposturæ, mendaciaque impudentissima sunt. Quis enim Catholicorum unquam uni vero Deo, vel imagines sacras, vel beata Sanctorum pignora, vel Martyrum, aut Apostolorum, aut etiam Angelorum Spiritus, aut ipsam denique cœli Reginam, Deique Parentem Mariam ullomodo æquavit?

Quis in Catholica Ecclesia sacrificium, quod uni debetur Deo, vel Sanctis, vel reliquijs, vel imaginibus obtulit? nonne hoc uno externo symbolo, quando nulla extarent alia, satis aperte testamur, nos animo quoque, et cogitatione unum Deum complecti, eique soli proprio quodam, et peculiari cultu servire? nonne apertè distinguimus inter eum honorem, qui soli Deo debetur, et eum cultum, ac venerationem, qua Dei amicis, alijsque sacris rebus, propter ipsum Deum, piè religioseque tribuitur? Scilicet illa (ut diximus) mendacia calum-

nia que sint, interim tamen ab ea ipsa men-
dacia, innumerabiles populi, regna, nationes,
multa millia animarum Christi sanguine
redemptarum, à Christi corpore separata, et
tanquam rami ab arbore vi tempestatis
avulsi, et disiecti iacent, et instar ouium, quæ
ab ouili suo egressæ, sine ullo pastorum, ca-
numuè præsidio in montibus vagantur, in-
fernalium luporum quotidie præda fiunt.

Sed quoniam aliquid diximus de men-
dacijs, et calumnijs, de conuicijs, et contu-
melijs aliquid etiam dicendum erit. Sanè
tantus est in libris, et moribus hæreticorum,
Sanctorum omnium contemptus, tamque hor-
ribiles in omnes Cælites blasphemiæ, ut ego
hinc potissimum vehementer admirer diui-
ni Numinis patientiam. Nam, ut omittam,
quòd in imagines sacras tanto furore Calui-
nistæ debacchantur, ut eas pluribus iam in
locis, aut penitus confregerint, aut cœno,

et sordibus foedauerint, aut oculis effossis, naribusque, et auribus truncatis deformauerint, ut nihil etiam dicam, quòd ipsum crucis signum Angelis reuerendum, dæmonibus formidolosum, humano generi salutare, ubique deijciunt, conspuunt, proculcant, ut illud quoque prætercam, quòd beata corpora Sanctorum, quæ maiorum nostrorum pietas thecis aureis atque argenteis incluserat, quæque domicilia et organa Spiritus Sancti fuerant, et quæ Deus signis et prodigijs sæpius illustrauerat, ipsi ubique altaribus euersis effodiunt; flammis absumunt, in profluentem abijciunt. Verùm ista, inquam, omnia prætermittam, et solùm de contumelijs verborum loquar. Quid, quæso, Erasmus Roterodamus? An non Luciani impietatem longo interuallo superauit? Ille enim Deos falsos, veréque ridiculos irrisit? At nouus iste Lucianus veros Angelorum ciues veréque Dei amicos et domesticos, ut Apostolus loquitur,

contumeliosissimè tractauit.

In Colloquio, quod inscripsit, Naufragium, quendam introducit alterum interrogantem, an imminente mortis periculo implorauerit alicuius Diui præsidium? Respondet ille: Ne id quidem: quamobrem autem? inquit, quia spaciosum est cælum; si cui Diuorum commendauero salutem meam, puta Petro, quia fortasse prius audiet, quòd adest ostio, priusquam ille conueniat Deum: priusquam exponat causam, ego iam periero. Isti sunt lepidi, vel sacrilegi potius Erasmi ioci. In eodem etiā libro, more prorsus Lucianeo, beatissimam Virginem Mariam in martis præfectura Venere substituit; et ausus est homo Christianus Virginem illam, quam S. Joannes Chrysostomus Seraphicis Spiritibus sanctiorem et puriorem esse verissimè scripsit, cum impurissima meretrice conferre?

Quidquid in Dialogo de peregrinatione

religionis ergo, epistolam confictam nomine Virginis Mariae edere non erubuit, qua ipsa Mater Veritatis falsorum dogmatum Lutheri auctor introducitur? Sic enim ficta illa Maria ad Slaucopulum scribit: Quod, inquit, Lutherum sequutus strenue suades, supervacaneum esse invocare Divos, ā me quidem isto nomine bonam magnamque gratiam te misse scito; ne ante hac tantum non enecabar improbis mortalium opplorationibus. A b una petebantur omnia, quasi filius meus semper infans esset, qui a talis fingitur pingiturque in sinu meo. Sed piget me certè, pudet que talia referre, quibus tamen undique scatent Exc.mi lucubrationes.

Jam verò Martinus Lutherus in sermone de natali die Virginis Mariae, tanti fecit patrocinium Matris Dei, ut audacter dicere non dubitaverit, se non pluris aestimare preces B. Mariae, quàm cuiuslibet è populo; propterea quòd omnes simus aequè sancti et iusti atque ipsa est Virgo Maria, ceteri que Divi, quantumvis magni.

Desmatherzo Bernardus Mariae praer-

rogatus enumerare: non dicat amplius Chrysostomus, Virginem Deiparam Cherubim esse honoratiorem, et Seraphin incomparabiliter gloriosiorem: neque vox illa Hieronymi demceps audiatur: capacitate Mariam niti, qua maior nullus requirit intelligi; nam omnes sumus aequè iusti et sancti atque ipsa Virgo Maria. / Nihil ergo Maria profuit, quod prima trophaeum virginitatis erexit, quod a Deo Virgo concepit, peperit, educavit; quod omnium penè itinerum, laborum, aerumnarum, et molestiarum eius comes, ad crucem usque, discipulis fugientibus, ipsum sequuta, Martyrium denique acerbissimum, doloris gladio viscera eius penetrante, suscepit. Nam sine tot laboribus omnes sumus aequè iusti et sancti atque ipsa Virgo Maria. Sine causa Petrus, et Paulus caeterique Apostoli tanto labore ad Evangelium disseminandum orbem terrarum peragrarunt; frustrà Martyres sanguinem suum pro Christo fuderunt;

manes vigiliæ, ieiunia, Solitudines, humi cubationes, noxxi di facere, assidua cum Dæmonibus bella, anctores Anachoretarum fuerunt; quoniam sine tot laboribus et [illegible] Lutherani quiescentes omni in [illegible] nu et Complexu, bene pasti, bene [illegible] poti, cœlum rapiunt, et æque sancti et iusti sunt atque ipsa Virgo Maria, cæteri [illegible] quantumvis magni.

[illegible] etiam eæ ii Magdeburgenses; ipsi enim sunt præclari illi, ne dicam [illegible] historici, qui in priori bus [illegible] ma Centuria, dum Christi vitam [illegible] nunt, B. Mariam [illegible] ter deliquisse volunt, cum filium in templo amisit, ut eius peccatum cum illo primo, et gravissimo Evæ peccato non solum comparare non metuant, sed etiam utrum sit gravius,

q uarerent dubitare non verearentur.
Ijdem postea in posteriore eiusdem Centuria libro, Petro Apostolorum Princi-
pi quindecim lapsus et errata tribu-
unt, quorum aliqua sempiternis cru-
ciatibus dignissima esse docent: nec
minus in Pa[ulum] [illegible] Paulum re-
x [illegible], quod in Asia supra mo-
dum grauatus, de vita desperauerit,
[illegible] [illegible] Jacobi Judaicas
ceremonias e Hierosolymis obserua-
uerit, et eo facto magis Judeos in er-
rore confirmauerit, quam imbecil-
les fratres adiuuerit. In tertia vero
Centuria, et sequentibus omnibus, ad
finem capitis quarti, Patres omnes
accusant, quod non opiniones tantum
incommodas, et naeuos, sed etiam er-
rores, et stipulas, et fumos in Ecclesia
scriptis suis inuexerint, adeo ut nisi

Lutherus facem nobis doctrinæ præ-
tulisset, caliginemque illam tempes-
tiuè dissipasset, iam tunc excæcati,
erectique omnes sumus.

Quid de Quintino impuro
et blasphemo Libertinorum in Galliis
[illegible] dicemus, qui ut Caluinus
auctor est, in Institutione contra Liber-
tinos, c. 9. adeo petulanter in Sanc-
tos omnes [illegible], ut Paulum
[illegible] non appellaret, quàm vas con-
fractum; Ioannem iuuenem stolidu-
lum; Matthæum, fœneratorem, Petrum,
Christi abnegatorem?

Porrò Caluinus, qui tam seue-
re alios arguit impietatis, tàm fuit ip-
se pius et religiosus, ut non contentus iis
conuicijs, quibus Sanctos omnes vexat,
qui post Christi aduentum floruerunt
etiam adeo linguæ suæ flagellum ex-

ter dixit, qui multis seculis eiusdem Salvatoris adventum praecesserunt. Itaque in libris Christianae suae institutionis, lib. 3. cap. 14. §. 11. Abrahamum idolorum cultorem facit; Saram, lib. 3. [illegible] c. 2. §. 1. [illegible] modis peccasse dicit, cum ancillam viro suo supposuit; Rebecham vero variis fraudibus, et imposturis, Dei veritatem corrupisse, cum malo artificio filiis [illegible] [illegible] pro uxore, [illegible] recipit, Iacobum mentiri cogit. Iudam Machabaeum, lib. 3. c. 5. §. 8. superstitionis et praeposteri [illegible] reprehendit, quod pro mortuis sacrificium [illegible] impetravit, Sephoram, lib. 4. c. 15. §. 20. stultam mulierem fuisse, graviterque peccasse docet, quod filium circumciderit. Moysem ipsum, in cap. 32. [illegible] quo nihil habuit antiquitas maius, sapientius, sanctius, arroganti[a]

atque superbia Calvinus insinuat, quod nimirum imperiose legem Deo praescripserit, suaque eum iniustitia oppresserit.

Iam vero de sanctis hominibus Testamenti novi, primum scurriliter negat eos, si preces mortalium exaudire debeant, tam longas aures habere oportere, ut a caelo usque ad terram porrigantur. Deinde eosdem per contemptum, nunc homines mortuos, nunc umbras, nunc larvas, nunc etiam colluviem nominat, in Institutione lib. 3. cap. 20. §. 27. in libro autem, quem inscripsit, De vera Ecclesia reformandae ratione, etiam monstra, carnifices, et bestias appellavit. Qua contumelia et blasphemia vix ulla maior cogitari potest. Quid enim? si non Calvinum ipsum, sed coniugem eius (nefas enim apud eos est Episcopum creari, nisi unius saltem uxoris virum) si coniugem, inquam, Calvini, aut liberos, aut amicos, aut etiam servos, vel

ancillas, aliquis nostrum larvas, umbras, colluviem, bestias, monstra, carnifices appellaret, quo animo id Calvinus acciperet? an sibi iniuriam fieri non arbitraretur? nunquid non molestissimè, gravissimè que ferret? et Christus aequo animo accipiet, amicos, domesticos, fratres, filiosque suos amantissimos quos ipse in coelis tanto honore dignatur, ut in Apocalypsi dicat: Si quis vicerit, dabo ei sedere in throno meo, sicut ego vici, et sedi in throno Patris mei; hos, inquam, tam sublimes Principes, consortes regni, et solij divini, umbras, larvas, colluviem, ab uno quodam arrogantissimo terrae vermiculo nominari? Non ferret certè aequo animo Deus, sed omnes eiusmodi blasphemos, atque sacrilegos, aeternis suplicijs tandem afficiet.

Sed et nos, si cives Sanctorum sumus, si ullum habemus fidei zelum, exci-

temur, atque accendamur oportet et reli-
giosa, piaque indignatione vehementer
commoti tam nefarijs hominibus acerri-
mè resistamus. Imitentur Lutherani
maiores suos, Porphyrium, Julianum,
Vigilantium, Vicleffum, et quotquot un-
quam cum cœlestibus Diuis impia
bella gesserunt, et ut fabulæ Poetarum
de gigantibus ferunt, de suis sedibus cæ-
lites deturbare, ac detrahere voluerunt.
Nos verò maiorum nostrorum, Atha-
nasij, Ambrosij, Hieronymi, Paulini, Au-
gustini, Gregorij vestigijs inhæreamus.
Qui quidem Apostolorum, et Martyrum
gloriam religiosè æmulari, et res ges-
tas contra detractores pro viribus dis-
serendo tueri; et memoriam denique
sermonibus alere, Basilicis honorare,
carminibus celebrare, literis propaga-
re, et consecrare æternitati semper stu-

ruerunt. Ita enim fiet, ut et illi, quorum imitantur scelera, earundem cum illis pœnarum societate iungantur: et nos, quos in hoc studio ad virtutem habuimus Duces, eosdem ad præmia, et coronas socios habeamus. Nunc ad rem ipsam accedamus propriùs.

Finis.

Appendi[illegible] ex [illegible] Ver[illegible] nova [illegible]

Exercitia S[illegible]ra S. P. Ignatij [illegible] ex solo Psalmorum [illegible]

Med[illegible]io de Fine Hominis. Ex P[illegible]no 8, 18, 118, 127, 145.
Medit. [illegible]e Pœna Peccati. Ex Ps. [illegible], 108, 36, 57.
Medit. [illegible]e Peccatis. Ex Ps. 50, 6, 29, 34, 37, 105, 129.
Medit. de Morte. Ex Ps. 38, 48, [illegible] 89, 115, 126, 128, 134.
Me[illegible]it. de I[illegible]dicio. Ex Ps. 4, 9, 84, 93, 96, 111, 142.
M[illegible] de Inferor[illegible] [illegible]. [illegible] 72, 79, [illegible]9.
M[illegible]it. de Regno Chri[illegible]. Ex Ps. 2, 28, 35, 92, 10[illegible].
Medit. [illegible] Incarnatione Verbi Divini. Ex Ps. 13. seu 52, [illegible], 88.
Medit. de Nativitate Domini. Ex Ps. 28, 84, 97, 116.
Medit. de Tribus Hominum generibus. [illegible]. 14, 90, 138.
M[illegible]u de II Vexillis. Ex Ps. [illegible], 17, 85, 95, 125, 136, 143.
Medit. de SS. [illegible]ucharistia. Ex Ps. 62, 98, 99, 134, 147.
Medit. de III Gra[illegible]ibus Humilitatis. Ex Ps. 64, 16, 112, 122, 130, 137.
Medit. de Christo patiente. Ex Ps. 21, 30, 40, 54, 68, 87.
Medit. de Christo resurgente. Ex Ps. 45, 3, 9, 117.
Medit. de Christo ascendente. Ex Ps. 23, 46, 80, 149.
Medit. de Adventu Spiritus Sancti. Ex Ps. 47, 67, 75, 77.
Medit. d[illegible] [illegible]. Ex Ps. 41, 42, 83, 86, 14, 121, 140.
Medit. de Amore Dei. Ex Ps. 22, 39, seu 69, 65, 102, 103, 110, 135, 136, 148, 150.
Interpositis aliquot Repetitionibus, ubi materia est uberior, Meditationum numerus facile implebitur. Qui supersunt Psalmi, Considerationibus, et Lectioni sacræ servient, viz.
Hebdomade I. Ps. 3, 10, 12, 27, 56, 39, 54, 29, 101, 119, 120, 139.
Hebd. II. Ps. 66, 71, 78, 79, 82, 131, 5, 7, 53, 55, 59, 107, 100, 109, 140.
Hebd. III. Ps. 25, 19, 33, 58, 63, 73, [illegible]
Hebd. IV. Ps. 20, 35, 60, 62, 106, 70, 76, 139, 32, 33, 119, 123, 129, 113, 133.

Fi[illegible]

8.^{a} Oratio Rethorica
In scholis Habita.
De Hæreticorum Levitate, In re Sacramentaria.

Hæreticos homines, ut est apud Isaiam Prophetam cap. 19. Spiritus vertiginis agitari, et tanquam Babylonicæ turris ædificatores, sic inter se linguis, et moribus esse diuisos, ut alius alium non agnoscat; nulla re magis, quàm disputatione Sacramentaria comprobatur. Etenim cùm de Sacramentis agitur, siue nomen, siue natura, siue numerus, siue efficacitas, siue quid aliud in controuersiam adducatur, non modò inter se acerbissimis contentionibus altercantur, sed etiam ita ineptè, atque absurdè plerumque disputant, ut de stultitiæ palma contendere, vel de gloria imperitiæ dimicare velle videantur. Et quoniam præfationem à nobis solito pleniorem, ac iucundiorem noui

huius Gymnasii amplitudo, noua studiorum auspicia, nouis auditorum concursus, ipsaque[?] modum sedes, et parietes postulare viden-tur, non mediocriter laetor hoc semihi hodier-na die ad disputandum argumentum obtu-lisse. Disserendum est enim de haereticorum huius temporis vanitate, et leuitate, id que in re Sacramentaria, id est, summis, grauissi-misque nostrae fidei controuersijs. Quae sanè disputatione iucunditate vacua esse poterit, cùm spectaculum furiosorum inter se, et cum sanis concertantium exhibeat: nec sua etiam utilitate priuabitur, cùm hoc exemplo luculenter ostendat, in quas errorum tenebras incidant, quoque ad praecipitia absurdissimarum haereseon ruant, qui semel à praeclarissima, munitissimaque Catholicae veritatis arce recesserint.

Principio igitur cùm Sacramenti

vocabulum in quaestionem apud Haereticos nostros venisset, et Martinus Lutherus in Babylone sua eam vocem haud multum sibi probari significasset, continuò discipuli eius, qui Lutherum, non ut hominem quendam vulgarem, sed ut novum Prophetam de coelo lapsum suscipiebant, eiusque non sententias tantum, sed etiam nutus tanquam oracula observabant, Sacramenti nomen apertè improbare, ac repudiare coeperunt. Itaque Andreas Carlostadius in libro de Imaginibus, et Sacramentis, Sacramenti nomen palàm oppugnauit. Philippus Melanchton in locis primum editis, capite de signis: Quae, inquit, alij Sacramenta, nos signa appellamus, quòd si signi nomen dilicet, unum appelles. Zuinglius in libro de vera, et falsa religione: Vocem istam, inquit, Sacramenti, magnopere cuperem Germanis numquam fuisse receptam; Caluinus, ut caeteris grauior, et sapientior videatur, et si nomen hoc parum probet lib. 4. Institutionum

cap. 11. non tamen existimat operæ pretium, de nomine litigare. Non diu post exorta inter Lutherum, et Sacramentarios gravissima simultate, cum animadverteret Lutherus Sacramenti nomen vehementer Sacramentarijs improbari, probare ipse cœpit, acerrimèque tueri, ac propugnare, ut ex eo libro cognosci potest, quem contra Andream Carolostadium scripsit: quem quidem Andream, aureum aliquando amicum suum, in Absalonem et Judam posteà conversum miserè deplorat.

Lutherum opinione mutata, Sacramenti vocabulum defendentem, sequutus est eius Achates, Philippus Melanchton, qui in locis posterius editis, Sacramenti nomine passim utitur: sequuti etiam cæteri, qui propriè Lutherani dici, atque à Sacramentarijs distingui volunt, Brentius, Silmannus, Kemnitius, et alij.

Sed audite, si placet, quibus argumentis Sacramenti nomen, vel oppugnet Carolostadius, vel defendat Lutherus: Non placet,

inquit ille, vox ista, neque enim Deus in sacris literis usquam imperavit, ut ejusmodi voce uteremur; nec licet in rebus divinis usurpare nomina, quae Deus non jusserit usurpari. Contrà, Lutherus: Immò, verò, inquit, placet vox ista; nec enim Deus in sacris literis usquam prohibuit, ne ejusmodi voce uteremur: et quis tandem es, Carolostadi, ut te ponas loco Dei, et nobis prohibeas, quod ille non prohibuit? Uter ineptior, Auditores? Nam si non licet in rebus divinis his vocibus uti quas Deus in sacris literis non instituit, indicet nobis Carolostadius, ubinam legerit in Scripturis Trinitatem, essentiam, personas, ... aliaque id genus, quae trita sunt, et pervulgata, non magis apud Catholicos, quàm apud ipsos haereticos Sacramentarios, et si non licet Baptismum, et Eucharistiam vocare Sacramenta, quòd Deus non jusserit ita vocari, cur ipsi Baptismum, et Eucharistiam signa, Simbola, tesseras,

appellant? neque enim locum indicare pote-
runt in Evangelio, vel in Apostolo, ubi eiusmo-
di vocibus, vel Baptismus, vel Eucharistia
nominetur. Sed nec Lutheri ratiocinatio
multo plus habet ponderis, aut soliditatis.
Etenim si prohibere non licet ea vocabula,
quae Deus in sacris literis non prohibuit;
non igitur prohibeantur Ariani Filium
Dei dicere ...... Patri: sinantur Macedonia-
ni Spiritum Sanctum vocare creaturam: li-
ceat Michaeli Serveto Verbum aeternum
definire; idealem rationem Christum homi-
nem repraesentantem: liberum sit Valenti-
no Gentili Deum Patrem essentiatorem,
Deum Filium essentiatum nominare;
concedatur denique ut alia praetermit-
tam, novis Samosatenis, ut vocent imagi-
nes Trinitatis, Cerberos tricipites, et tri-
corpores Geryones, siquidem nihil horum
in sacris literis Deus prohibuisse legitur.
Quanto gravius, maturius, sapientius

Ecclesia Catholica nomen Sacramenti re-
tinet, quòd eam vocem aptissimè quadrare
intelligat in Baptismum, et Eucharistiam,
aliaque eiusdem generis, sacra mysteria; quod-
que eadem voce usum esse videat Tertullia-
num, Cyprianum, Lactantium, Ambrosium,
Hieronymum, Augustinum, et quotquot iam
inde ab initio Christiani nominis, de sacris
nostræ fidei rebus Latinè, scripserunt? Sed
de nomine satis multa; ad Sacramenti na-
turam atque vim accedamus.

Scriptores Catholici tanta consen-
sione docent, ac semper docuerunt, noua le-
gis Sacramenta instrumenta quædam esse
nostra iustificationis, ut id etiam Aduersa-
riorum nostrorum testimonio comprobe-
tur. Sic enim Caluinus loquitur lib. 4.
Institut. cap. 14. §. 14. Magno consensu Sophis-
tica Schola tradiderunt, Sacramenta
noua legis iustificare, et conferre gratiam,
modò non ponamus obicem peccati mortalis.

Quæ sententia dici non potest, quàm sit exitialis, et pestilens, eoque magis, quòd multis ante sæculis magna Ecclesiæ iactura, in bona orbis parte obtinuit. Hæc ille: qui, ut videtis, licet pro suo more Catholicos, sophistas; et Ecclesiæ fidem, pestem, ac perniciem vocet: tamen negare non potuit magnum esse inter Catholicos omnes consensum, ac sententiam nostram multis iam sæculis in bona orbis terrarum parte viguisse: cùm à ipsis contrà rectissimè, verissimeque dicamus, nihil apud eos antiquum, nihil certum, nihil ferè ab omnibus communi consensione receptum, sed omnia noua, incerta omnia, eaque breuissimis, atque angustissimis finibus circunscripta. Nam et si permulti, ac penè innumerabiles hoc tempore longè, latèque grassantur Hæretici, tamen in tot minutissimas sectas sunt ipsi diuisi, atque dissecti, ut nullum fermè sit eorum dogma, quod admodum latè pateat,

quodque non aliqua certa ratione desiniatur. Sanè Martinus Kemnitius in secunda parte Examinis Tridentini Concilij de Sacramenti natura, et potestate disputans, summam inter suos, idest, Lutheri posteros, ac discipulos. Discordiam esse ingenuè confitetur. Et vero nimium impudens fuisset, si quod est solis luce clarius, inficiari voluisset; numerantur enim apud Adversarios, ipso etiam consentiente Kemnitio, ut minimùm sex diversae, atquè absurdissimae, et inter se pugnantes opiniones, dum aliud somniant Lutherus, aliud sibi fingit Carolostadius, aliud delirant Anabaptistae, aliud Zuvinglius, aliud Calvinus, aliud alij comminiscuntur. Inspiciamus paulisper, ac leviter discutiamus ineptias singulorum.

Princeps Lutherus, cùm in Babylone, tùm in assertione Articulorum, nihil aliud Sacramentum esse voluit, nisi divi-

num testimonium ad excitandam, vel nutriendam fidem, institutum, quod instar miraculi confirmet, et instar sigilli obsignet promissionem gratiæ. Quo circa Sacramenta ferè conferre solet cum vellere S. Leonis, cum signo, quod Isaias obtulit Regi Achaz, cum alijs eiusmodi miraculis, atque prodigijs, quibus ad faciendam fidem Prophetæ, et Apostoli utebantur.

Sed hæc sententia tam est absurda, ut nihil ferè cogitari possit absurdius. Nam signa atque prodigia ad confirmandam prædicationem meritò adhibentur, cum sint ex se nota, et illustria, neque à prædicatione ullà ratione dependeant: contra autem Sacramenta nullam ex se vim habent, ac ne Sacramenta quidem esse intelliguntur, nisi testimonio verbi confirmentur. Itaque qui à prædicatione Diuini verbi vel morbos re... ntè curari, vel Dæmones verbo pelli, vel

catos illuminari, vel ab inferis mortuos reuocari conspiciunt, ipsa miraculi vi tanquam fulgore quodam ita percelluntur, ac prosternuntur, ut vel inuiti verbistanti viri fidem habere cogantur. Qui vero aquis hominem ablui, quod in Baptismo facimus, viderit, nihil mirantur, neque facile credunt in ea lotione aliquid, ut minus lateres, ni si verbo Dei ante crediderent. Quod si prior ... Sacramenta ... incipimus, que verbo Dei fidem habeamus: quo pacto, quaeso, fieri potest, ut Sacramentis diuina eloquia confirmentur? An non ridiculus esset, qui Ethnico diceret: Ut credas vera esse quae dico, amphoram istam aqua super caput tuum ... Egregia sane probatio: nisi enim ex Dei verbo disceremus lotionem ..., et illam unctionem ad purgandos animos valere, quis id crederet? quis non rideret? neque enim id habet aqua natura,

ut morbos animi curet, et cordis macu-
las eluat, sed quidquid in hoc genere po-
test, ex institutione divina potest, divina
autem institutionem divina eloquia pa-
lef- ciunt.

Porrò comparatio illa, qua verbum
diplomati, Sacramentum sigillo ab adver
sariis passim confertur, tam est inepta, ut
nihil ineptius fingi queat; multoque; re-
ctius verbum Dei, sigillum Sacramenti, quam
Sacramentum, verbi Dei sigillum dici pos-
sit. Nam ut sigillum, etiam sine diplomate
vim suam habet, atque agnoscitur, et hono-
ratur; diploma sine sigillo non agnosci-
tur esse diploma, nec vim ullam habet; ita
etiam verbum Dei sine testimonio Sacra-
menti, suam, eamque; summam habet
auctoritatem; Sacramenta verò sine verbi
testimonio, nullam. Non igitur Sacramen-
tum, ut illi volunt, sigillum verbi, sed ver-

bum, sigillum Sacramenti nominari debuis-
se.

Deinde si Sacramentum, ut Lutherani volunt,
nihil est aliud, nisi excitandæ, vel alendæ fi-
dei instrumentum, quorsum infantes, amentes,
dormientes, et cæteri dum in Ecclesia baptizantur?
num ea vis est in Sacramentis, ut ijs etiam qui
usum rationis non habent, fidem persuadeant?
an potius, ut docent Anabaptistæ solis adultis,
sanis, ac vigilantibus Sacramenta prodesse? Mi-
nime vero, inquiunt Lutherani, quin potius gravi-
ter errant Anabaptistæ, homines fanatici ac
furiosi, dum infantes baptizari prohibent. Nam
et si parvuli alio tempore iudicio rationis ca-
rent, tamen dum baptizantur, sic in eorum
mentibus operatur Deus, ut et verbum Dei
audiant, et Deum etiam agnoscant, ac di-
ligant; quemadmodum olim sanctus Joan-
nes in utero matris, Christi præsentiam
sensit, et præ gaudio exultavit. En vobis,

quo se miseri praecipitant; nec est omnino locus alius, quo se recipiant: urgent enim vehementer Anabaptistae, et sic undique; Lutheranos claustra tenent; ut vel capi debeant, vel in huiusmodi erroris foueam sponte cadere. Sed neque ita effugiunt: nam ipsa ipsa fouea armato dilemmate obruuntur, atque; conficiuntur Lutherani. Vidistis, opinor, aliquando, infantes dum baptizantur, quam refugiant, eiulent, obluctentur? Quaero igitur, vel intelligunt quid agant, vel non intelligunt. Si non intelligunt, nec credunt: Si non credunt, perperam baptizantur; et vicerunt Anabaptistae. Si intelligunt; sacrilegi sunt, qui sic pertinaciter Sacramenta recusant, nec tam purgantur, quam maculantur, non igitur baptizentur; et vicerunt Anabaptistae. Quid? quod has ineptias iam olim in epistola ad Dardanum risit Augustinus, et ad exemplum Sancti Joannis, qui singulari miraculo in utero exultauit,

argutè respondit, aliquando etiam asinã Balaam sapienter esse loquutam, nec tamen ob id admonitos esse homines in deliberationibus suis asinina expectare consilia.

Sed Lutherum dimittam, si unum abeo quaesiero, in quonam Euangelio, vel Apostolo, vel Propheta legerit, Sacramenta novae legis esse testimonia, vel sigilla verbi Dei? Nos quidem passim legimus Joann. 3. Actor. 22. 1. ad Corinthios 6. ad Ephes. 4. ad titum 3. 1. Petri 3. Baptismo renasci, ablui, purgari, sanctificari, renovari, salvari fideles: obsignari promissiones nusquam legimus, nisi forte in Euangelio secundum Lutherum. Neque potest Lutherus hoc argumentum contemnere, cum in libro adversus Joannem Cochlæum scriptum reliquerit, in rebus sacris vehementissimum, et robustissimum locum esse, argumentum ducere ab auctoritate negativè. Velit igitur locum indicet in verbo Dei, ubi sa

cramenta noua legis, testimonia nominentur; vel certè argumento vehementissimo, et robustissimo sententiam suam non refutare fateatur.

Venio nunc ad Zuinglium. Is in libro de vera et falsa religione, ubi Lutheri sententiam, aliasque; nonnullas satis acriter oppugnauit, aperit mentem suam, ac docet, Sacramenta nihil esse aliud, nisi quandam oppignerationem, ac veluti iusiurandum, quo homines Christo, et eius Ecclesiæ fideles fore publicè profitentur; ex quo illud sequitur, in Sacramentorum celebratione nihil Christum agere, et non modo non purgare peccata, neque homines renouare, ut volunt Catholici, sed ne attestari quidem nostræ iustificationi, ut docent Lutherani. Quæ sententia tantum abest, ut ullo Scripturæ testimonio confirmari queat; ut cum uniuersis Scripturis apertissimè pugnet. Nam si Baptismus mea tantum est oppigne-

ratio, non autem Christi actio, quid est quod ait Joannes: Hic est qui baptizat? quid est illud, quod ait Apostolus: Christus dilexit Ecclesiam, et tradidit semetipsum pro ea, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ? et si Baptismus non purgat peccata, sed testimonium solum præbet futuræ fidelitatis, cur Paulo Ananias dixit: Baptizare, et ablue peccata tua? cur ipse Paulus Baptismum definivit lavacrum regenerationis? et quid sibi vult illud quod iam citavimus, Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ? Denique ut alia multa prætermittam, res est in Ecclesia explorata, ac certa, et ipsis etiam fœminis, ac pueris nota, Sacramenta Christiana ex Christi passione, ac meritis vim habere: atque in eius rei signum sanguinem, et aquam ex Christi latere profluxisse. Tunc, inquit Sanctus Leo epistola 4. cap. 6. Regenerationis potentiam sanxit, quando de latere eius profluxerunt sanguis redemptionis, et aqua Baptismatis;

quod idem Ambrosius in Lucam, Augustinus, Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus, unanimiter annotarunt. Atque hinc Apostolus Paulus quo illa coniunxit: Tradidit semetipsum pro ea, et, Mundans eam lavacro aquae; quia videlicet nihil esset aqua, nisi aqua, nisi vim quandam mirificam ex illius sanguine traheret, qui tradidit semetipsum in mortem, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam. Unde utrumque et Joannes clamat: Hic est qui venit per aquam, et sanguinem, et rursum repetit: Non in aqua solum, minirum, ut quondam Joannes Baptista: sed in aqua et sanguine; id est, in aqua admista sanguini, atque ob eum sanguinem ad omnia eluenda peccata, efficacissima. Sed si vera est nova theologia Zuinglij, errat Joannes, fallitur Paulus, hallucinantur Patres universi, inanis est confessio populorum, ac gentium, Christus ipse frustra latus suum aperuit,

et sanguinem et aquam inde manare voluit.
Quid enim opus fuit Christi passione, ac morte ad
Sacramenta
instituenda, si nihil sacrum, nihil divinum
habent, nihil possunt, nihil efficiunt, nec sunt aliud
nisi testimonia, vel pignora quædam humana.
Jam verò Joannes Calvinus mira calliditate,
cùm Lutherum simul ac Zuinglium amplec-
ti velle videatur, ab utroque dissentit, atque utro-
que rejecto, suum ac proprium dogma constituit,
his enim verbis affirmat in 4. libro Institut.
cap. 14. §. 1. veram, propriam, simplicem defini-
tionem Sacramenti contineri. Sacramentum,
externum est symbolum, quo benevolentiæ er-
ga nos suæ promissiones conscientijs nostris Do-
minus obsignat, ad sustinendam fidei nostræ
imbecillitatem, et nos vicissim pietatem
erga eum nostram tam coram eo, et Angelis,
quàm apud homines testamur. Quis non
iuraret, Calvini sententiam ex Lutheri,
Zuinglijq; sententia esse conflatam? Quod
enim Calvinus ait, Sacramenta promissio

nem beneuolentiæ à Domino obsignari ad
sustinendam fidei imbecillitatem, ex Lu-
thero sumptum videri potest: quod vero ad-
dit, eodem nos Sacramento testari nostram
erga Dominum pietatem, ad Zuinglij
sententiam pertinet. Sed non tanta erat,
vel in Caluino modestia, vel in Luthero,
et Zuinglio auctoritas, ut horum ille dis-
cipulus aut esse, aut haberi se pateretur.
Itaque licet Zuinglio Caluinus conce-
dat, Sacramenta esse quandam veluti
professionem nostræ erga Deum fidelitatis:
in eo tamen ab eo dissentit, quod negat
hunc esse vel solum, vel primarium Sa-
cramentorum usum, et ea de causa, no-
mine Zuinglii prætermisso, eius senten-
tiam loco notato palam oppugnat, om-
niaque ipsius argumenta sigillatim di-
luit. Inter Lutherum autem, et Caluinum
hoc interest, quod cum uterque Sacramen-
ta faciat testimonia, vel sigilla Diuinæ

promissionis, eam promissionem esse vult Lu-
therus iustificationis praesentis, Caluinus
electionis aeternae. Quam obrem in Antidoto
Concilij, sess. 6. cap. 5. infantes baptizari di-
cit, non ut in adoptionem filiorum a Deo reci-
piantur, sed ut obsignetur promissio vitae,
quae ad eos per gratiam praedestinationis
iam ante pertinebat et sessione septima ca-
none septimo, ad eum finem Sacramenta re-
ferenda esse affirmat, ut certos nos reddant
perpetuae adoptionis et gratiae ad quam vide-
licet ante mundi constitutionem praedesti-
nati sumus.

Sed haec sententia multis nominibus falsa, absurda, perniciosa, impia est.
Nam et cum Scripturis aperte pugnat,
et multis regnum caelorum claudit, et
Sacramentum falsum, ministros fallaces
legos, Deum mendacem, et quasi periu-
rum facit. Si falsum non est, Sacramen

ta solum ad praeteritum, id est, ad gratiam elec-
tionis referri; cur Ananias in praesenti dicit:
Exurge, et baptizare, et ablue peccata tua. cur
Baptismum Paulus vocat lavacrum regenera-
tionis? cur eundem Baptismum Petrus acci-
pi dicit in remissionem peccatorum? Et qua
tandem est ista temeritas, vel furor potius, et
amentia, provocare Catholicos ad Scriptu-
ras, et tamen quid Scripturae omnes clament
nolle audire, id vero obstinate asserere, ac
tueri, quod nusquam in divinis literis os-
tendi queat?

Absurdam vero sententiam esse, ut
Sacramenta obsignari conscientiis pro-
missiones, fieri potest ex parvulorum
Baptismo planissimum. Siquidem ri-
te, atque utiliter parvulos baptizari,
Calvinus contra Anabaptistas mul-
tis in locis docet, cum tamen parvuli
ut usurationis, ita etiam conscientiae

reant; quod re ipsâ quidem Calvinus
negare usus fuit in 4. lib., institut. cap. 16.
Et verò si promissio diploma quoddam est,
Sacramentum sigillum, et conscientia
cera, vel charta, ut Calvinus significat:
egregium sanè miraculum Calvinistæ
faciunt, cùm parvulos baptizant: nam
et diploma scribunt sine charta, et sigilla
imprimunt sine cera.

Esse autem [illegible] eandem sententiam
multis, ac potissimum parvulis perniciosam,
dubitari certè non potest. Nam cùm Sacramen-
ta Calvinus, filijs præsertim hominum fidelium,
quos iustos, ac sanctos nasci docet, ad accipien-
dam Christi gratiam minimè necessaria esse, mul-
tis persuaserit, id consequutum est, ut non pau-
ci eadem Sacramenta contempserint, atque
in dies magis contemnant, atque interim mul-
torum animæ parvulorum, quæ sanctæ
à Calvino esse finguntur, non expiatæ salu

taxibus aquis, in aeternis sordibus perseuerent.
Sed illud grauissimum, quod ista Cal-
uini sententia Sacramentum, ut dixi, falsum,
ministrum sacrilegum, et Deum mendacem facit.
Etenim, si Sacramentum diuinum est iusiu-
randum, atque sigillum, quo lectoris aeter-
nae promissio obsignatur: quoties contingit (con-
tingit autem frequentissime) ut reprobi bapti-
zentur, toties item contingit, ut Sacramenta-
lia verba sint falsa, et ore ministri mentiatur
Deus. Fingite animis adesse iam hoc loco Phili-
pum Diaconum, qui Magum Simonem bapti-
zet: certe cum Philippus aquam aspergit, ac di-
cit, Ego te baptizo: eodem ipso momento, si Calui-
no credimus, et Deus dicit, Ego Deus aeternus
testor, ac iuro, et sigillo meo diuino confirmo,
te Simonem à me iam inde ab aeternitate
electum, et ad regnum coelorum irreuocabi-
liter praedestinatum. Atqui falsum hoc testi-
monium, falsum iusiurandum fallax sigil-
lum fuisse, nemo est qui nesciat, cum Simon i-
pse, Haeresiarches, et Magus tandem perierit.

requiratis, sibi Cauet Calvinus, cùm ait; Deum quod ad se attinet, [illegible] sigillum, ac testimonium [non] offerre, nam [illegible], sed [illegible] nisi appareat, cùm nisi per homines [illegible] [illegible] Sacramentum [illegible] relatio, sed [illegible] fica[illegible] Diuina [illegible]; ut idem ipse docet Calvinus in Catechismo breuiori. Itaque [illegible] Sacramenta [illegible] in veram [illegible], ac [illegible] probet [illegible] [illegible], cùm [illegible] baptismum.

[illegible] adhuc supersunt [illegible] opiniones; [illegible], quia [illegible], breuiter, [illegible] attingam. Igitur Andreas Carolostadius, ut ipse quoque [illegible] cognominis haberi possit, nouum dogma excogitauit, minimum asseruit, nihil [illegible] aliud Sacramenta Christiana, quàm symbola quædam ac tesseras, quibus [illegible] Christiani a Ju-

vis, Mahumetanis, Jogis: quales erant olim apud Romanos togae, pallia apud Philosophos, et nunc apud Christianos non vestimenta sacra Monachorum. Neque multum ab hac sententia discrepat, quod Anabaptistae de sacramentis disputant. Siquidem Sacramenta esse volunt allegorias ut ipsi loquuntur, operum bonorum: non enim alia de causa homines baptizari, et corpus Domini sumere, nisi ut admoneantur ea caeremonia sibi crucem, et mortem pro Christo, si [illegible]terit, forti animo esse tolerandam.

Sed non est quod multum laboremus in his sententiis refellendis, cum eas Lutherus, Philippus, Zvinglius, Calvinus, Kemnitius, atque alii ex [illegible] ita confutarint, et profligarint, ut per se etiam [illegible]t, ac [illegible]. Sane [illegible] alia Sacramentorum utilitas, nisi ut Ecclesiam ab aliis hominum coetibus [illegible]dant, et operum bonorum fideles [illegible]ant, nae parum valent, ut pene superva-

canea dici possint. Habemus enim alia, ipsa
lota multoque iam sacramenta sint, illustrio
ra, et sacra sora. Quid. annon confessio fi
dei melior tessera est, quam Baptismus, cu
confessio sor lei Catho icorum propria
sit, baptismum aut n co tu cum ho
reticis habemus. annon iam longe fira
ciusmoue et adoptabo a hortationes, et
exempla, quam extremo ia illa sac au
tales? Et quid pius rat, ut sacra nta
Christi lat re perfossa erent, ita
et raerant, ad m sq ...
... Romanorum ..., ... ophorum?

Sinus retat Sever ch ... quia ...
... co tentiones ... ...
... nata credendo ... a iure salu
tari posset, omnia simul Christ a a Sacra
menta repudiavit: quipp homo supramodum
spiritualis, atque Angeli-us, sotto spiri a vix

dum putat. Nec mirum si Sacramenta ei
corporalia sordeant, qui in scripturarum
divinarum literis, et verba contemnit. Illum
magis admirer, cur non tacitam mentis cogita-
tionem contentus, verbis et literis corpora-
libus dogmata [illegible] putaverit:
non enim decet virum tam spiritualem, per
more ac palato, lingua, ac dentibus, sapien-
tiae suae arcana committere. Nec videlicet
[illegible] itores, cithara [illegible] bat, nec [illegible] celebret longo
[illegible] ambitu [illegible] varia [illegible], ut forte il-
los jam [illegible] thesauros illos, charismatum divi-
norum, pharmaca illa caelestia Christi
[illegible] comparata omnino Christianus [illegible]-
[illegible]. Qui contemplatione spirituales homi-
nes homines [illegible] esse [illegible] intelligerent pro-
fecto, nihil magis appositum a divina provi-
dentia institui potuisse, quam ut homines,
qui spiritu et corpore constant, per corpora-
lia ad dona spiritualia pervenirent: Situ,

inquit Sanctus Joannes Chrysostomus homilia 83. in Matthæum, in corporeus esses, nuda tibi Deus, et incorporea donatra dixisset: sed quoniam corpori adiunctum spiritum habes, in rebus corporalibus spiritalia tibi traduntur. Quid? quod ipsa etiam Sacramenta non omnino corporalia, sed magna ex parte spiritalia sunt? corporale est elementum, corporale etiam verbum, sed mirifica illa virtus et potestas, qua fit, ut aqua corpus tangat, et cor abluat, ut Sanctus loquitur Augustinus, planè spiritalis est. Itaque, Dominus Nicodemo, non ex aqua solum, sed ex aqua et spiritu renascendum esse pronunciavit, nimirum, ut Gregorius Nazianzenus in oratione de Baptismate annotavit, ideo ex aqua et Spiritu, quia medicamentum partim corporale, partim spiritale, aptissimè convenit in eos ægrotos, quorum natura corpore, et spiritu continetur.

Diximus Aud. de nomine, diximus etia de natura, et efficacitate Sacramenti. Quòd si iam de numero Sacramentorum, hæretico-rum sententias enumerare vellem; hinc etia facilè demonstrarem, quanta eorum vani-tas, et stultitia sit; cùm unus Lutherus mo-dò unum, modò duo, modò tria, modò etiam Septem Sacramenta numerauerit. Si verò etia ritus, ac cæremonias eorum explicare aggre-derer, tum verò maximè, quamuis in re seria, rideretis; Tot enim fermè apud eos extant formæ Sacramentorum administrandorum, ut numerari vix queant, et quod Summis Pon-tificibus tribui posse negant, ut ritum aliquẽ in Ecclesia statuant, id sibi apud eos quiuis homuncio passim assumit. Quod si postremo quid de Sacramentis singulis hæretici sentiant, explicandum suscipere, nullum unquam exitum reperirem. Quamobrem unum tantum è tam multis seligemus, eoque; breuiter per-

tractato, prætermissis cæteris, finem disserendi faciemus.

Laborant totis viribus cum Lutherani, tum Calvinistæ, ut veram Christi carnem in Sacramento nobis communicari doceant; et tamen Ecclesiæ Catholicæ sententiam de conversione panis in carnem pervicacibus animis rejiciunt. Itaque Calvinus adeò implicatam, obscuram, mirabilem, incredibilem rationem excogitavit, qua Christi vera caro per nescio quas fistulas, et canales ad nos de cælo derivari, et quasi distillari possit; ut ego sanè etiam si Judæus, vel Paganus essem, multò facilius capere, et credere me posse confiderem conversionem panis in carnem, quam docet Ecclesia, quàm Calvinisticum illud, sine auctoritate, et sine ratione fabricatum figmentum.

Lutherani autem aliud monstrum longè etiam ~~tertius~~ tertius Ecclesiæ pepererunt. Nam

ut facilè eis esset verám Christi carnem in Sacramento habere præsentem, eandem carnem ab ipsa sua Conceptione ubique fuisse, ac semper, omniaque; omnino loca, eo modo quo Deus facit, replere docuerunt. Quod portentum (neque enim dogma, vel sententia, vel opinio, vel simplex etiám hæresis nominari debet) Scripturis repugnat, adversatur Patribus, evertit Symbolum, Christi naturas cum Eutychete confundit; et ipsum denique quod mirandum videtur, Sacramentum destruit, pro quo astruendo fabricatum est. Nam si Christi corpus ab ipsa sua Conceptione semper ubique fuit, mentitur certè qui illud alicubi aliquando non fuisse affirmat: ergo mentitur Angelus, cùm apud Marcum ait: Surrexit, non est hic; quomodo enim hic non est, qui ubique est? Dominus ipse mentitur, cùm ait: Lazarus mortuus est, et gaudeo propter vos,

ut credatis, qui a non eram ibi: quomodo enim Domine ibi non eras, qui ubique eras? Loco S. Augustinus, ut de cæteris taceam, in Epistola ad Dardanum ex proposito hoc tractans, copiose docet, esse Christum, ut ipse loquitur, per id, quod Deus est, ubique; per id, quod homo est, non ubique.

Jam vero symbolum fidei monstruosa ista Ubiquitas, (hoc enim barbaro vocabulo barbarus error nominari meruit) ita corrumpit, atque depravat, ut Christi Conceptionem, Ortum, Passionem, Obitum, Sepulturam, Descensionem ad inferos, Reversionem ab inferis, Ascensionem in cœlum, Reversionem à cœlo, non vera, et propria, sed metaphorica, ac pene phantastica cum Marcione, et Manichæo nobis efficiat. Id enim habet de Christi conceptione Symbolum rectæ fidei, in solius Beatissimæ Virginis utero

Christi Corpus novem illis mensibus fuisse. Atqui idem illud corpus in uteris omnium fæminarum, immò etiam, et virorum fuit, si ubique semper fuit. De quo verò id Symbolum docet, Christi Corpus nono exacto mense verè, et propriè ex utero prodijsse; et eo modo verè, et propriè natum esse. At si vera somniant Ubiquistæ, ante nonum mensem, erat extra uterum, et post nonum mensem adhuc erat in utero; neque inde unquam verè prodijt, aut prodire potest; cum id quod verè ubique est, nulla ratione verè moveri queat. Quemadmodum igitur Deus cùm apparet alicubi, non eò venisse propriè, sed metaphoricè dicitur, quia ubique cùm sit, non venit ubi non erat, sed apparet ubi non videbatur: sic etiam Christi ortus non verus, ac proprius, sed apparens, ac metaphoricus dicen-

duxerit; cùm non venerit illa caro ubi non erat, nec locum deseruerit, ubi erat, sed cerni tantum cœperit, ubi antea minimè cernebatur. Quod idem de Passione, de Morte, de Sepultura, & cæteris fidei capitibus intelligi debet. Qui enim semper ubiquè fuit, non verè, et propriè, sed metaphoricè solùm transijt de Cœnaculo ad hortum, de horto ad Concilium Judæorum, de Concilio ad Prætorium, de Prætorio ad Caluariam, de Caluaria ad Crucem, de Cruce ad Sepulchrum, de Sepulchro ad montem, & Monte ad Cœlum. Nec potuit verè in morte corpus ab anima separari: cùm utrumque ubique fuerit, id efficitur, quod est absurdissimum, ut fuerit Christo mortuo, corpus cum anima in inferno, et anima cum corpore in sepulchro.

Quid iam de ipsa humana Christi

natura, de qua illo summo, atque Angelis adorando incarnationis mysterio dicam. Nam si humana Christi natura non modò ubique est, sed (ut adversarij docent) illam ipsam habet divinam immensitatem, quam Deus habet, ut infinita spatia replere queat, erit ipsa verè, et absolutè immensa, et infinita: et cum mole corporea non sit infinita, quippe quæ tota ubique est, erit sine dubio infinita virtute; virtus autem infinita naturam sequitur infinitam: igitur Christi caro natura est infinita, quare vel duæ jam erunt infinitæ naturæ, quod fieri nequit, vel quod solum restat, humana in divinam transeunte natura, et naturarum confusio, et totius mysterij labefactatio consequetur. En nobis quàm facilè hæresis hæresim parit, et eo tandem errando venitur, ut ipsa prima fidei fundamenta radicitus evertantur.

Quid, quod portentosa Ubiquitas Sacramentum ipsum, ut dicebam, tollit, pro quo

afferendo fabricata est? Nam si missa priuata domo in pane, in vino, in pomis, in piscibus, in olexibus, in omni ciborum genere, in ipso aere quem attrahimus, Christi carnem verè sumimus; quid necesse est in Ecclesiam conuenire? quid panem frangere, et vinum miscere? quid verba illa sacra pronunciare? quid habet sacra cœna præ vulgari prandio? quid Panis Eucharistia præ pane pistoris? quid altare præ mensa?

Atque ut magis adhuc Lutheranorum sapientiam admiremini, novum hoc monstrum intra paucos annos, in una eademque Prouincia, ijsdem auctoribus Lutheranis prodijt, perijt, reuixit? siquidem ab ipso Luthero, ut ex multis eius testimonijs Brentius probat, excogitatum eodem regnante Luthero feliciter in Saxonia floruit: Luthero deinde mortuo, ac rerum potiente Melanchtone, paulatim languescere, ac deficere cœpit; donec

tandem ipsa Saxonia in Dresden si Lutheranorum Concilio, quod ante annos tredecim habitum est, publico decreto damnatum, explosum, exterminatum est: sed his proximis annis Melanchthonico cursu imperio, atque imperante in Saxonia Smidelino, rursus ab inferis reuocata, et in suam sedem restituta magno cum honore Vbiquitas est. Ista videlicet est constantia fidei Lutheranae, ut nunc sacrosancta fidei dogmata esse debeant, quae ante annos tredecim pestilentissima haereses erant.

Sed finis sit, nolo enim in eiusmodi nugis percensendis orationem ponere longiorem, quae tamen si ut verè sunt, sic ab omnibus hominibus haberentur pro nugis; labore nos, atque negotio magno leuarent. Sed quoniam tanta est Satanae versutia, tanta haereticorum fallacia, tanta populorum ad res nouas propensio, ut permultis

iam, non inquam hominibus, sed populis, Provincijs, Regnis, cum summa Ecclesiae Catholicae iactura, et honoris Dei, Christique meritorum obscuratione persuasa sint; circo nobis totis viribus enitendum est, ut in haec ipsa studia, ita diligenter incumbamus, ut aliquando haereticorum fraudes detegere, Christi gloriam amplificare, Ecclesiam propagare, damna resarcire, Satanam confundere, Christo duce, et adiutore valeamus.

Finis.

9.a N Oratio Rethorica In Scholis Habita.

Vera Lutheri, et asseclarum ejus Imago.

Annum iam decimum cum Lutheranis in hac palæstra depugno. Nec mihi tamen unquam venit in mentem, ut antequam novum certamen ingrediar, quale tandem sit animal, Lutheranus, aperiam, cùm præsertim apud eos agatur, quorum non pauci fortasse nunquam ejusmodi monstra viderunt. Sed hoc anno rei, de qua agitur, magnitudo admonuit, ut quoniam concertatio gravissima, non cum uno, vel altero grege Lutheranorum, sed cum omnibus omnino, quamvis inter se non minus, quàm à nobis dissidentibus, futura est, non ante in hanc arenam pugnaturus ingrediar, quàm breviter exposuero, quid sit quod vulgo dicitur Lutheranus.

Ac ut nemo dubitet; orationi meæ fidem habere, nihil ipse fingam, nihil affe-

ram meum, sed eam [illegible] auctorem, ac testem producam, cuius [illegible] solum nomen ad fidem faciendam sufficiat. Is erit Apostolus et Evangelista Joannes, qui in illa sua divinissima Apocalypsi, posteaquam de prioribus sæculis multa longè prospiciendo prescripserat, ubi ad hoc sæculum venit, Lutherum per stellam de cœlo cadentem; Lutheranam doctrinam per fumum de tartaro ascendentem; ipsos autem Lutheranos per exercitum innumerabilium, atque horribilium locustarum, ita suis coloribus, ita ad vivum, ita luculenter expressit, ut nihil dici potuisse videatur apertius. Quamobrem si quæ Joannes de stella, de fumo, et de locustis in Apocalypsi scripsit, paulò diligentius pro temporis brevitate exposuerimus, nemo erit, qui non intelligat, quod genus bestiarum sit, cum quo, Deo benè iuvante, pugnare aggredimur.

Igitur de Stella, quæ primo loco inspicienda est, ita loquitur nonum caput Apocalypseos:

Et quintus Angelus tuba cecinit, et vidi stellam de caelo cecidisse in terram, et data est ei clavis putei abyssi. Et aperuit puteum abyssi. Septem Angelos Joannes inducit, qui toti orbi terrarum septem ingentes calamitates septem tubarum clangore praenunciant. De primis quatuor cum adversarijs convenimus, quatuor principales haereses, quae Catholicam Ecclesiam suis temporibus afflixerunt, tubis illis mysticis indicari. De sexta et septima tuba, nulla dubitatio esse potest. Satis enim aperte sexta tuba postremam, eamque gravissimam Antichristi persecutionem. Septima vero mundi totius interitum, et (ut Scriptura loquitur) consummationem significant.

De vaticinio quintae tubae nonnulla controversia est, dum illud in nos quadrare Lutherani clamant, Nos in illos apertissime convenire non solum dicimus, sed etiam apertissime comprobamus; Illi enim vaticinium quintae tubae in Catholicos retorquere nullo modo queunt, ni-

si quintam, ac septam tubam ita confundant, ut unam efficiant ex duabus, et sacrum, ac mysticum tubarum numerum penitus destruant. Neque enim Catholica nostra Ecclesia ullam certam hæreseos notam inurunt, sed eam in Antichristi regnum degenerasse, degeneres ipsi, et verè adulterini filij mentiuntur. Regnum autem, et tempora Antichristi ad septam tubam, non ad quintam pertinere, et res ipsa loquitur, et interpretes eius loci summa consensione testantur.

Multò igitur veriùs, ac probabilius est, ut quatuor primis tubis quatuor principales hæreses designantur, ita etiam quinta tuba hæresim quandam multiplicem, et deterrimam significari, quæ Antichristi persecutionem proximè præcurrat, eique viam patefaciat, atque sternat: quam hæresim Lutheranam esse non ego solus, vel primus, sed plurimi ante me ex coniecturis non leuibus docuerunt. Sed quicquid sit

de proprio, ac germano sensu verborum Joannis, neque enim audeo de vaticinio obscurissimo quidquam temerè pronunciare. Illud affirmo, quæ Joannes hoc loco de stella, de fumo, de locustis loquitur, in Lutherum, et Lutheranos mirificè convenire.

Quid enim aliud (ut à stella cadente exordiar) vobis esse videtur, stellam de cœlo cadere, nisi hominem cœlesti vitæ additum, à terra longissimo intervallo remotum, sacri cœlibatus, ac monasticæ professionis splendore et puritate micantem subito ad terrenas delicias, atque ad negotia huius mundi delabi; mortali coniugio implicari, in carne et sanguine volutari? Lutherum autem quis tandem ignorat, cum aliquando monasticam vitam, perfectam, pauperem, continentem, cœlestem planè, ac divinam in clarissimo quodam ordine profiteretur, repentino atque horribili casu, ex sacerdote laicum, ex paupere divitem, ex continente maritum, ex monacho politicum factum?

monasterium in palatium, pannosam vestẽ in sericam, victum sobrium, ac tenuem in opiparas coenas, et prandia commutasse? Denique qui propter Christum uxorem, liberos, agros, nummosque contempserat: iterum propter uxorem et liberos, propter agros et nummos, Christum reliquisse?

Quia verò Lutherus praecipuum studium suum in Apostolica Sede oppugnanda positurus erat, seque Christi Vicario Antagonistam singularem professurus, pulchrè Joannes dicit, stellae de coelo cadenti clavem abyssi datam. Ita nimirum oportebat, ut sicut Christus Apostolo Petro, eiusque successoribus claves regni coelorum attribuit, ita etiam Satanas cum Apostolo suo primario claves abyssi communicaret: et sicut Petrus coelesti claue diuina oracula reserabat, ac populis sibi creditis doctrinam salutarem de coelo adferebat; ita Lutherus abyssi claue infernalem puteum aperiret, ac tetros inde errores, antiquarum haeresum,

colluviem, dogmata perniciosa, tartareaque deduceret.

Atque hoc est, quod sequitur in Apocalypsi: Et aperuit puteum abyssi; et ascendit fumus putei sicut fumus fornacis magnæ, et obscuratus est sol, et aer de fumo putei. Fumum istum, qui Lutheri casum consecutus est, planè est cæcus, et stupidus qui non sentit. Antequam enim stella ista laberetur è cælo, totus fermè Occidens, vel potius latina Ecclesia vniversa, uno Boemiæ angulo excepto, eiusdem fidei, et religionis erat, et quocumque aliquis iret, fratres suos continuò agnoscebat. Siquidem omnes versabantur in lumine. Una erat omnium fides, eadem prædicatio, ijdem ritus Sacramentorum, eadem ieiuniorum, festorumque observatio: non erat altare contra altare, nec domus contra domum, sed ubique ad unum atque idem sacrificium à sacerdotum Principe colligebamur, atque in unum ovile ab uno pastore congregabamur; et ad ubera eius-

dem matris Catholicæ Ecclesiæ nutriebamur.
At posteaquam Stella huius fulgor in tene-
bras est plagenda conuersione mutatus, et
abyssi claue puteum tenebrarum aperuit: tan-
tus est fumus hæresum, schismatum, sectarum
exortus, ut iam nec in eadem prouincia, nec
in eadem ciuitate, vel domo, unus alium inter-
noscat. En quanto miraculo separauit Deus
Israelem ab Ægyptijs. Nos enim, ad quos Dei
beneficio, fumus ille tartareus non peruenit,
non solum in Italia, Hispania, Gallia, sed
in ipsa etiam Germania, et Britannia, et in
ultimis orbis terræ partibus fraties nostros vi-
demus; cum Ægypti Boreales, quorum ter-
ram operuere tenebræ Ægyptijs densiores,
et quorum populos caligo feralis inuoluit;
in eadem (ut dixi) domo inter se non agnoscant.
Obscurauit quoque hic fumus (ut in Apoca-
lypsi dicitur) solem, et aerem. Nam per solem,
Christum accipiendum esse, qui de se ipse dicit:

Ego sum lux mundi; per aerem, scripturas, per quas in huius vitæ laboribus quodammodo respiramus, et nostri, et adversarij, hoc est; et Catholici, et Hæretici libenter admittunt. Et Christum quidem, quàm vehementer fumus iste teterrimus obscurauerit; testis est Transiluania, et finitimæ regiones, ubi à novis Ebionitis, Samosatenis, et Arianis, qui omnes è Lutheri Gymnasio prodierant. Christi divinitas palam, ac sine ullis ambagibus abnegatur. Testis Moravia, Hollandia, et nescio quot aliæ nationes: ubi Anabaptistæ, qui et ipsi Luthero, si non parente, certè avo, et maiore gloriantur, Christo veram carnem, atque animam suis erroribus adimunt. Testis etiam ipsa Germania, ubi qui veri, ac rigidi Lutherani dici volunt, per novum nescio quod figmentum Ubiquitatis humanam Christi naturam cum divina confundunt.

Non defuerunt olim Hæretici veteres, qui Christum iustitiæ, solem varijs errorum nebulis obscurare tentarunt: sed nulli unquam liberius,

nulli impudentius, nulli horribilius, quàm ij, quos mundo Lutheri Schola produxit. Quis enim in antiquis Hæreticis legit, Christum non modò non esse Deum, sed neque adorandum, aut inuocandum; eundem etiam de salute desperasse, atque esse damnatum; Vt omittam Cerberos tricipites, et tricorpores Geriones; Deum fictitium, imaginarium, phantasticum, aliaque id genus nomina blasphemia, quæ pijssimi scilicet isti Theologi usurpant, cùm sacrosanctæ Trinitatis arcana explicare, vel potius temerare nituntur. Horror est audire, vel legere, quanta temeritate hoc tempore de Christi mysterijs disputetur; ut iam dubitari non possit, quin isti sibi non leuibus nebulis, sed fumo teterrimo, atque tractabili Christum solem obduxerint.

Porrò scripturas, quæ (ut dixi) per aerem significantur, incredibile dictu est, quàm densis tenebris hic fumus inuoluerit. Tot enim iam extant interpretationes contrariæ, tot commen-

taria inter se pugnantia, tot lites, et contentiones de intelligentia verbi Dei, ut ea quae olim clarissima omnibus erant, nunc obscurissima, ac veluti enigmata quaedam esse videantur.

Joannis Evangelium quis nescit adversus Cherintum, et Ebionem praecipue scriptum fuisse, qui Christum sempiternum, ac Deum esse negabant? Et quid illis verbis clarius pro Christi divinitate, atque aeternitate dici potest: In principio erat verbum, et verbum erat apud Deum, et Deus erat verbum? Et tamen hodie Transilvani locum istum ita suis commentarijs perverterunt, ac depravarunt, ut ex isto ipso loco argumentum ducant, quo probent Christum neque esse Deum, neque ante Matrem Virginem extitisse. Quid in re sacramentaria? Dici ne potest aliquid planius illis verbis: Hoc est corpus meum? At hoc tempore pauca ista verba tam alte in cimmerias tenebras demersa à Lutheranis, et Zuinglianis sunt, ut nuper quidam ducentas colle-

gerit horum verborum, vel aspertas depravationes, vel inter se diffidentes interpretationes. Exempla generis eiusdem prope innumerabilia possem afferre; nisi me locustæ iamdudum ad se inspiciendas invitarent.

De fumo igitur putei prodiisse Ioannes vidit agmina quædam admirabilium et furentium locustarum, quæ paulò post etiam equorum, et scorpionum, et leonum, et curruum volitantium, et hominum armatorum speciem præ se ferrent. Primum locusta sordidum, atque ut ita dicam, ventrosum est animal, totum siquidem eius corpus nihil ferè est, nisi venter. Quo circa nec incedere, nec volare rectè potest, sed saltitando exigit se in sublime quasi volatura, et mox nimio ventris pondere ad terram depressa turpiter cadit. Tales omnino sunt Hæretici Lutherani, homines ventri addicti, hostes ieiuniorum, continentiæ inimici; et ea de causa nec possunt rectè vi-

uendo per uiam mandatorum incedere;
neque pennis contemplationis, sese ad res
cælestes, ac diuinas intuendas exigere. Nitun
tur quidem interdum sese attollere, et mores
emendare, sed more locustarum continuò
iterum cadunt, ac deprimuntur ad terram.

Testis esse potest Saxonica visitatio. Nã
cùm Lutherus animaduerteret aliquando
ob euangelicam libertatem à se tot annis
prædicatam, omnesque leges Ecclesiasticas
abrogatas, et ipsum decretum publicè in
foro exustum, populos Germaniæ iam sine
ullo fræno in uitia ruere; quandam insti-
tuit visitationem, atque admonuit verbi
ministros, ut prædicarent pœnitentiam, ti-
morem Dei, obedientiam, opera bona. Sed
saltus fuit locustæ, nam nec ipse mores emen-
dauit suos, nec populi pastorum admonitioni-
bus paruerunt. Nec sanè immeritò. Quorsũ
enim bonis operibus studeant, quibus sufficit

una fides?

Pari ratione conantur plerique eorum per contemplationem volare, et scribunt iam passim libros de tribus personis, de duabus naturis, de vera Christi divinitate, deque alijs summis fidei nostrae mysterijs, sed in terram ita cadunt, ut non tibias tantum, sed etiam caput ad terram allidant. Rari enim admodum sunt apud Lutheranos, qui in libris de Christo editis vel Ebionem, aut Arium, vel Nestorium, vel Eutychetem non sapiant.

Habent deinde locustae illud etiam proprium, quod cum rege careant, tamen turmatim incedunt. Sic enim legimus in Prouerbijs Salomonis: Regem locusta non habet, et egreditur uniuersa per turmas suas. Sic, etiam Regem Lutherani non habent ullum. Nullum enim esse volunt, qui toti Ecclesiae potestate praesit, neque aliud magis in catholicis reprehendunt, quam quod uni omnes

obediant, quodque unum agnoscant Christi in terris Vicarium, Petri Apostoli successorem, Ecclesiæ universæ patrem, et pastorem. Scilicet Rege cavearit nova ista locusta, brevi tamen ita propagatæ, atque auctæ sunt, ut turmatim ingenti agmine progrediantur. Quod quidem nonnulli non mediocriter admirantur. Qui fieri potest (inquiunt) ut doctrina ista nova non sit à Deo, et tamen tot populos, tot provincias, tot regna tam brevi tempore occupaverit? Sed si ita liceat philosophari, magis adhuc mirabimur, cur Mahumeti Alcoranum in magna parte orbis terrarum tam facilè obtinuerit.

Sed nulla est, mihi credite, causa admirationis, cum et Alcoranum Mahumeti, et Euangelium Lutheri, carni, ac sensibus commodissimè accidant. Christi Euangelium, quod res difficillimas ad credendum, et laboriosissimas ad operandum imperat,

quodque carni, et sanguini penitus adversatur, piscatorum operatam felici progressu in toto orbe terrarum brevissimo tempore disseminatum receptumque fuisse. Verè est admirandum, certissimumque divinæ potentiæ argumentum. At Mahumeti, Lutherique doctrinam nihil est mirum, et facilè, et in multis locum reperisse, multa enim eaque difficillima fidei nostræ mysteria sustulit, et simul frana libidinibus laxavit, et omnibus scelestis hominibus additum patefecit.

Aspicite enim qui sint qui ad Lutheranos plerumque deficiunt: Gulæ addicti ad eos accurrunt; quod non sint apud eos stata jejunia: incontinentes; quod apud eos etiã Monachis, et Monialibus matrimonia concedantur, desertores monasteriorũ; quod omnia apud eos vota laxentur, omnia claustra reserentur, continentiacum

coniugio, cum diuitijs paupertas, obedientia cum licentia commutetur. Homines auari, et ambitiosi, quod eis Lutherani non solum opes Ecclesiæ, sed etiam personas, et ipsam fidem, ac religionem inaudita adulatione subijciant. Item que otiosi quod Lutheri religio sola fide contenta, opera non requirat. Denique improbi, et scelerati omnes, quod nec peccata sacerdotibus confiteri, nec ulli hominum vitæ suæ rationem reddere teneantur.

Et miramur adhuc si crescat numerus locustarum. Homines enim ita comparati à natura sunt, ut id facilè, et libenter credant, quod cupiunt, quod placet, quod delectat. Non est difficile voluptarijs, et carnalibus hominibus persuadere, Sacerdotes, et Monachos coniugio alligari oportere, continentiam esse rem supra vires, ieiunia supervacanea, delectum ciborum superstitiosum. Non est dificile apud auaros excusare usuras, apud ambitiosos simoniam, apud lascivos for-

nicationem.

Legite Euangelium: Audiebant (inquit Sanctus Lucas) omnia hæc Pharisæi, qui erant auari, et deridebant eum. Non credebant Pharisæi differenti Domino, ac dicenti: Non potestis Deo seruire, et Mammonæ. Quare? quia erant auari, neque à Mammona auelli se patiebantur. Et alio loco ad ambitiosos Dominus: Quomodo (inquit) vos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, et gloriam, quæ à solo Deo est, non quæritis? Non mirror (inquit) vos non credere, mirarer si crederetis, quando superbia atque ambitio ita oculos vestros execcauit, ut humilem Christum, et gloriæ contemptorem agnoscere non possitis. Accepissent sanè Pharisæi libenter Christum, si non crucem, non egestatem, non humilitatem prædicasset, sed primos accubitus in cœnis, primas cathedras in synagogis, salutationes in foro, denique magnas opes, et clarissimos honores hic in terris suis sectatoribus

attulisset.

Quae cùm ita sint, nihil nihil est cur quisquam miretur, si tam multi, et tam facilè Mahumeto, ac Luthero carnis libertatem prædicantibus manus dederunt. Erant enim utroque tempore, ut ex historicis cognosci potest, mores hominum Christianorum magna ex parte corruptissimi, sacramenta, religiones, disciplina Ecclesiastica contemnebantur, conculcabantur, iacebant: florebant verò, ac vigebant, vel potiùs dominabantur, ac regnabant omnia genera vitiorum, ut iam homines sic affecti sanam doctrinam non sustinerent, sed quærerent sibi magistros prurientes auribus. Non fiebant hæretici, quod nemo esset qui hæreses prædicaret. Sed iam erant ipsi ad hæresim suscipiendam præparati. Ligna erant arida, atque ad flammam concipiendam idonea. Expectabatur solùm, qui ignem excitaret, atque subijceret. Non

defecit Satanas in rexi suo, ac per Mahumetum in Oriente, per Lutherum in Occidente tantum incendium excitauit, quantum multis annis, et magno labore restinqui non poterit. Habemus igitur, cur Locustæ tam subitò propagentur, ut per turmas plenè agminibus gradiantur. Videamus nunc, si placet, quibus verbis à Spiritu describantur.

Ait igitur Beatus Joannes, vidisse se in locustis faciem humanam, capillos muliebres, caudam scorpionum, dentes leonum, caput corona quasi aurea insigne, pectus lorica ferrea communitum. Atque addit: Fuisse eas quasi equos paratos ad prælium, et sonitum alarum ipsarum, quasi currus equorum properantiu ad certamen; et habuisse Regem supra se Angelum abyssi, qui dicitur Hebraicè Abaddon, Græcè Apollon, Latinè Exterminator. Percurramus breuiter singula.

Facies humana, blanda, mulie-
bris, designat initium hæreticæ prædi-
cationis. Nihil enim se doctores affir-
mant, nisi simplicem veritatem, ac pu-
rissimum Dei verbum; nolle se aliquid
immutare, vel innovare, sed repurgare
tantum nescio quos abusus, ac breviter
doctrinam fidei, et religionem Christia-
nam ad purissimos fontes Evangelij re-
vocare. Ita mirum simpliciores s
alliciunt, sibi que audientiam parant.

Cauda scorpionis significat exitum lethi-
ferum, ac venenatum. Nam posteaquam verbum
Dei Lutheranus Minister proposuit, continuo
illud perversa interpretatione depravat, atque
ad varios detorquet errores, et eo modo quasi re-
torta cauda aculeum infringens in audientium
mentes lethiferum virus infundit. Scriptum
est (inquit) Bibite ex hoc omnes, perperam
igitur, et contra Evangelium faciunt, qui cali-

cem Domini non omnibus praebent. Agnosco verbum Dei, ac veneror: Bibite ex hoc omnes. At bone vir, quo tandem verbo Dei probabis, vocabulum (omnes) ad omnes omninò homines, et non ad omnes certi alicuius generis pertinere? Alioqui si ita videtur, demus etiam Turcis, Judaeis, Ethnicis, infantibus, morionibus sacrum calicem; nam et isti inter homines numerantur. Scriptum est, inquit, honorabile connubium in omnibus. Ergo in Apostolum peccant, qui connubium in laicis venerantur, in Sacerdotibus, et Monachis reprehendunt. Sed si ita est, et in omnibus hominibus connubium honorare oportet, honoremus connubium parentis cum filia, fratris cum sorore, avi cum nepte. Quid quod connubium dixit Apostolus, non sacrilegium? Coniugia verò post solemnia vota, non connubia, sed sacrilegia à Sanctis Patribus nominantur.

Sed pergamus ad caetera. Dentes leonis, detractiones sunt, quibus assiduè, et literis, et

Sermonibus Lutherani fama lacerant Monachorum, Sacerdotum, Pontificum; ipsorum etiam Sanctorum, qui cum Deo feliciter regnant. Et sane detractionibus ita delectantur Lutherani, ut eis nutriri, sustentari, ac uiuere videantur. Et tam multa dicunt, et scribunt, quæ nec sunt, nec fuerunt, fortasse etiam numquam erunt, ut videantur omnem penitus sensum pudoris, atque omnem conscientiam exuisse. Certè si ex eorum Disputationibus, et concionibus, ex comentarijs, et libris detractiones detraherentur: sic ab eis tota substantia, et succus omnis abscederet, ut ingentia illa volumina, quibus bibliothecas nunc replent, in pauca folia contrahi possent.

Corona in capite, locustarum superbia atque arrogantia est. Qua se se Lutherani super omnes efferunt. Extat liber Lutheri ad Ducem Saxoniæ Georgium, in eo sic ait: "A tempore Apostolorum nullus Doctor, aut Scrip-

tor, nullus Theologus, aut Iuris consultus tam insigniter, et clarè conscientias saecularium statuum confirmauit, instruxit, et consolatus est, sicut ego feci. Per singularem Dei gratiam hoc certò scio, quoniam neque Augustinus, neque Ambrosius, qui tamen in hac re optimi sunt, mihi in hoc aequales sunt. Et rursus in sermone de euersione Hierusalem: Iam copiosè, inquit, praedicatum est à nobis Euangelium, ut ne Apostolorum quidem tempore tam clarum fuerit. Quid quod in libro contra Bullam Leonis X. summi Pontificis, audet homo priuatus Pontificem Maximum, cum uniuersa quae illi paret Ecclesia excomunicare? Quis unquam legit, vel audiuit, Episcopum à Presbitero, ne dicam Summum Pontificem à Monacho excomunicari potuisse? Exorruit quondam Calcedonense concilium Dioscori audaciam, qui Concilio Ephesino secundo, praesidens Leonem primum Pontificem excommunicare praesumpserat. At quae comparatio esse potest inter Dioscorum Par-

triarcham secundæ sedis generali concilio præsiden-
tem; et Lutherum primatum Monachum in suo cubicu-
lo delirantem? Quidquod non modò Lutherus, et Calui-
nus nihil faciunt mille Cyprianos, et mille Augustinos,
sed etiam quiuis eorum minister, pro asinis, et stipiti-
bus ducit omnes Catholicos?

Erant autem coronæ illæ quasi aureæ, id est,
aureæ videbantur, sed non erant; Simulant enim
se Dei zelo ad ea quæ dicunt incitari, cum tamen ni-
hil minùs, quàm zelum Dei nouerint. Vel ideo Coronæ
dicuntur quasi aureæ, quia magnis se nominibus or-
nant, cùm se Prophetas, Euangelistas, Elias tertios,
Repurgatores doctrinæ, Instauratores fidei, ac religio-
nis, appellant: Cæterum solo fulgore, ac sonitu insignium
vocabulorum, cùm in re nihil subsit, inaniter glori-
antur.

Pectus loricâ ferrea armatum obstinationem desig-
nat. Lutherani siquidem, sed magis adhuc Caluinistæ,
et maximè omnium Anabaptistæ ita animum obdu-
rant, atque obfirmant, ita pectus obstinatione, et per-

tinacia muniunt, ut quamvis apertissimè convincantur, malint tamen millies mori, quam ab errore recedere.

Jam verò similitudo equorum, qui parati videbantur ad bellum, signum est audaciæ, ac temeritatis. Si quis Lutherum audiat, putabit omninò se Goliath Philistæum, vel Thrasonem quempiam audire: Adeste (inquit in assertatione art. 25) adeste adhuc omnes Papistæ in unum; conflate studia vestra omnia in unum, si fortè possitis hoc vinculum dissoluere. Et ibidem. Hanc ratiunculam, inquit, neque solvunt, neque soluent unquam omnes Papistæ in unum Chaos confusi. Sed quàm temerè gloriosus miles ista effutierit, Episcopus Roffensis Beatissimus Martyr ostendit, qui vincula illa Lutheri iudicio indissolubilia tanquam fila aranearum momento dissoluit.

Porrò volantes currus miram indicant velocitatem, qua noua ista secta instar pestiferæ tabis sese per varias regiones effudit. Nam non contenta

Occiduis, et Aquilonaribus regnis, ad Orientem quoque, et Meridiem, ad Græcos, ad Indos, ad ipsum novum orbem navigare ausa est; quanquam et à Græcis cum ignominia repulsa fuit, et apud Indos non permisit Dominus, ut vestigium figere posset. Neque enim tam horribile flagellum innocens illa, ac tenera Christi Ecclesia merebatur.

Ad extremum: Regem supra se locustæ habere dicuntur Angelum Abyssi. Nam et si Regem aspectabilem, et corporalem locustæ non habent, ut supra ex Salomone docuimus; invisibili tamen Rege, velint nolint, carere non possunt. Ipse est enim (ut ait S. Job.) Rex super omnes filios superbiæ: in filijs autem superbiæ principem locum Hæretici tenent.

Porrò exterminator dicitur Rex locustarum, quòd per nullam unquam hæresim, aut persecutionem Satanas Ecclesiam ita vastare, atque ad ultimum exterminium vocare conatus sit, ut hoc tempore fecit per Lutheranos. Cætera hæreses

caput aliquod religionis petebant, sed ordinem, ac disciplinam, aliaque, vel munimenta, vel ornamenta Ecclesiæ pro viribus conservabant. Hæresis Lutherana partim per se, partim per suas proles, confessionistas, Zuinglianos, Anabaptistas, libertinos, Samosatenos, Arianos, Ubiquistas, omnia omninò Ecclesiæ bona in ijs locis, ubi grassari potuit, instar sævæ grandinis, prostrauit, dissipauit, perdidit, exterminauit.

Percurrite mecum cœlum, terras, purgatorium, gehennam. Quid est in cœlo? Deus Christus, Angeli, Beati. Quid in his intactum reliquerunt? planè nihil. Deum spoliarunt Trinitate, Christum Deitate, et Humanitate; sanctos homines beatitudine, eosdem cum Angelis omni cultu, et veneratione.

Ab Ecclesia quæ est in terris, quid non abstulit Lutherana tempestas? magnam partem Scripturæ, omnia penè Sacramenta, omnes traditiones, sacerdotium, sacrificium, vota, ieiunia, festos dies, templa, altaria,

reliquias, cruces, imagines, uno verbo, monumenta omnia pietatis, leges Ecclesiasticas, disciplinam, atque ordinem universum, populorum erga principes obedientiam, principum erga inferiores potestatem, omnique omnem modestiam, omnem virtutem, omnem domus Dei decorem, ac pulchritudinem exterminavit.

Quid iam de Purgatorio dicam? ubi non modò pias illas mentes, vivorum suffragijs privavit, sed ipsum totum Purgatorium funditus evertere, extinguere, exterminare conata est. Sed forte inferis pepercit? ne suo Regi Angelo Abyssi iniuriam facere videretur. Non ita est. Nam etiam inferos veros, et locales multi Lutheranorum negant, et imaginarios nescio quos inferos ex capite suo fingunt. Vera igitur exterminatrix haeresis haec dici potest, et eo Rege digna, qui Hebraicè Abaddon, Graecè Apolion, Latinè Exterminator appellatur. Et mirum sanè esset, si non etiam Lutherani ipsi hoc exterminium mirarentur, nisi à fumo illi putei planè obcaecati fuissent.

Sed una in tot malis consolatio est. Quod ut Joannes in eodem loco scribit: Locustae istae herbas virides, florentesque arbores non laedunt: sed ligna solum arida, atque ad incendium praeparata. Lutherana etenim secta cum tota carnalis sit, non facile viros bonos, et in quorum animis viret, ac floret religio, et pietas fallere potest, et raro aut nunquam fortasse contingit, ut Ecclesia Catholica deserta ad Lutheranos transfugerit, qui non antea corrupte, et perdite inter Catholicos vixerit.

Cum area ventilari incipiunt non frumenta, sed palea vento abripiente separantur ab area. Ita prorsus cum Ecclesia per Ethnicorum persecutiones, vel Haereticorum deceptiones, Deo permittente, cribratur, aut ventilatur à Sathana: non viri sancti, et graues, sed improbi, leues, curiosi, lasciui ab Ecclesiá auolantes ad Ethnicos, Haereticosvè transfugiunt, nec ferè solet accidere, ut

antè circa fidem aliquis naufraget, quàm naufragare cœperit circa mores. Quare ut hoc tempore, improbа vita gradus quidam est ad hæresim Lutheranam, sic etiam contra pestem eandem antidotum præsentissimum, atque optimum erit innocentia vitæ, et studium operum bonorum.

Finis.

— — — — — — —

10.ª Oratio Rethorica.
De Libero Arbitrio.

Parum omnino, Auditores, dementiæ ac furori hæreticorum huius temporis videbatur, si Christo solum, atque omnibus Sanctis, totique Catholicæ Ecclesiæ bellum indicerent, nisi etiam in ipsam naturam generis humani, atque adeo in sua ipsorum capita atque viscera, infestas manus, gladiosque convertèrent.

Eripuerunt Christo innumerabiles virgines sacras, quas cœlesti thalamo iam addixerat, sibique ipse solemni cæremonia, rituque; desponderat. Detraxerunt beatis Angelis, et Hominibus cœlum cum Christo tenentibus præconia, signa, basilicas, dies festos, mortalium vota, preces, implorationes, omnia denique et illis debita; et nobis salutaria monumenta virtutum. Abstulerunt Ecclesiæ bonam Sacramentorum partem; non paucos libros sacros, divinum ac saluberrimum sacrificium, Apostolicas tradi-

tiones, atque mysticas ceremonias vniuersas. Ad extremum Pontifices auctoritate, Principes imperio, populos disciplina, pastores gregibus, greges pastoribus, veneratione reliquias, reliquijs aras, aris templa, templis religionem, religione terrarum orbem prædones importunissimi spoliauerunt.

Nectamen his tot, ac tantis sacrilegijs perpetratis hæreticorum furor ac rabies conquieuit, donec etiam vt se, ac suos, totamque naturam generis humani violarent, arbitrij libertatem nobis omnibus suis sententijs detraxerunt, seque ipsi non veluarum similes, sed beluas planè rationis expertes profiteri non dubitarunt. Quod ego, quando præfandi vsus in hoc nostro gymnasio veteri more iam est receptus, quàm breuissimè potero demonstrabo.

Quanquam, si verè ac sapienter iudicare volumus, non libertatem arbitrij tot libris ac disputationibus hæretici, vel in se, vel in nobis extingunt, sed animum malè sanum produnt suum, et ex/

hoc uno, stultissimo dogmate insigne adferunt universo doctrinæ suæ corpori detrimentum.

Quis igitur istis fidem habere possit, dum de Deo, de Justitiâ, de Sacramentis, deque alijs rebus grauissimis, atque abstrusissimis disputant: cum eos videat de suorum animorum libertate, quam sentire et experiri coguntur, tam peruersè judicare? Quis non eos amentes et furiosos, et simul ingratos diuino numini esse censeat, qui tam excellens et præclarum Dei donum, quod nec ob magnitudinem contemni, nec ob usum frequentissimy latere potest, cum per singula ferè momenta in aciem oculorum et mentis incurrat, tamen obstinatissimè respuere, refutare, abjicere, execrari pergunt.

An verò non est eximium Dei munus libertas arbitrij, quod Beatissimus Gregorius, optimum quiddam, et omnium quæ sunt in homine præstantissimum esse definit? quo solo et à brutis animantibus separamur, et proximè ad Ange

lorum naturam accedimus, et ipsius diuini nu-
minis imaginem gerimus, et rebus omnibus, quæ
sunt infra Lunam, tanquam Dij quidam terres-
tres præsumus.

Deinde si tollas arbitrij libertatem, non-
ne vides unà repente considera omnia penè ho-
minum bona, quæ illa videlicet sede, illo fun-
damento tenebantur? et ubi, quæso, erit iustitiæ
splendor? ubi temperantiæ decus? ubi virtutum
cæterarum chorus? ubi laus benefactorum? ubi
præmium meritorum? quid? quod nec sempi-
ternæ felicitatis capax esse, si Beato Augustino et
Beato Bernardo credimus, nisi arbitrij libertas
potest? Neque gratia (inquit Augustinus libro
Hypognostici 3.) sine libero arbitrio facit homine
habere beatam vitam, ne liberum arbitrium
sine gratia. Et B. Bernardus: Tolle, inquit, li-
berum arbitrium, non erit quod salvetur; tolle gra-
tiam, non erit unde salvetur. Quanti igitur Dei do-
num illud existimandum est, sine quo nec boni, nec

beati, ac ne homines quidem unquam esse potuissemus?

Quod si de populari libertate, qua regius dominatus excluditur, quæ melius umbra quædam et imago libertatis, quam libertas dici potest, quæque diutius nisi summo labore non conservatur, et raro salutaris, sæpius noxia esse solet, tamen M. Tullius dixisse verè putatur, tantum in ea libertate inesse boni, ut non solum ab hominibus, verum etiam à bestijs expetatur, ac non immeritò rebus omnibus anteponatur: quid nos tandem de naturali illa, et germana libertate dicere par est, quæ animis nostris à Deo conditore insita et impressa, nihil esse videtur aliud (ut ait Bernardus serm. 81. in Cantica) nisi divinum quiddam præfulgens in animo tanquam gemma in auro, quod et summum naturæ nostræ splendorem, atque ornamentum adfert, et nullis criminibus aboleri, nullis calamitatibus minui, nulla externa vi labefactari, destruive potest?

Sed fortè nimis abdita atque abstrusa res est

libertas arbitrij, nec nisi à paucis, iisque acutissimis et doctissimis perspici potest. Nolo verbis meis respondere, S. Augustinum, quem unum ex omni vetustate sobrium in hac causa fuisse Caluinus dicit, si placet audiamus. Is in eo libro, quem de duabus animabus contra Manichaeos scripsit, de libero arbitrio in haec verba loquitur. Neque hic, inquit, libri obscuri mihi scrutandi erant, unde discerem, neminem vituperatione, suppliciove dignum, qui id non faciat quod facere non potest, nonne ista cantant et in montibus pastores, et in theatris poetae, et indocti in circulis, et docti in bibliothecis, et magistri in scholis, et antistites in sacris locis, et in orbe terrarum genus humanum? Et in libro de vera religione. Atque adeo, inquit, hoc est manifestum, ut nulla doctorum paucitas: nulla indoctorum turba dissentiat. Quid potuit clarius de huius quaestionis claritate dici? . .

Quis igitur eorum sive stuporem, sive furorem non admiretur, qui magistri orbis ter-

rarum haberi volunt, et vel id ignorant, quod et pastores in montibus, et in theatris poetæ, et indocti in circulis decantant? vel falsum esse contendunt, quod et docti in bibliothecis, et magistri in scholis, et Pontifices in templis, et ipsum genus humanum in orbe terrarum clarissima voce, summaque animi consensione verissimum esse testatur? Quid? quod communem hunc sensum et consensum orbis terræ, ac præcipuè veterum Patrum, maiorum nostrorum, non ignorant huius temporis hæretici: et tamen sine ullo pudore, inusitato genere superbiæ, incredibilique audacia, paucitatem suam, multitudini generis humani; imperitiam suam, sapientiæ omnium Patrum; nouorum dogmatum vanitatem, auctoritati grauissimæ vetustatis totius, ac sæculorum omnium anteponunt. Ac ne aliquid me fingere, vel augere plusquam oporteat arbitremini, eorum ipsorum, quorum de stultitia verba facimus, testimonia proferamus.

Ordiamur si ita videbitur, ab historicis, quorum præcipua laus est veritas.

Mathias Illyricus in illa sua censuriata historia, Centur. 2. cap. 1. col. 59. cum Justini, Irenæi, atque aliquot aliorum Patrum vetustissimorum sententias de libero arbitrio retulisset, hæc verba subiecit: Eodem modo Clemens Alexandrinus liberum arbitrium ubique asserit, ut appareat in eiusmodi tenebris (sic enim liberi arbitrij confessionem vocat) non tantum fuisse omnes eius seculi Doctores, verum etiam in posterioribus eas subinde crevisse.

Non est autem hoc loco prætereundum, eos Doctores, de quibus in eo libro Illyricus agit, illos esse, qui vel Apostolos ipsos loquentes audierunt, vel certè Apostolis proximè successerunt. Quod si Doctores illi, omnes ad unum (ut adversarij confitentur) liberum arbitrium ubique asseruerunt, neque fieri potest, ut reliquus cœtus fidelium aliud senserit in dogmatibus fidei, quam

quod à Doctoribus suis didicerat, certè omnis illa prima Ecclesia, quæ Christi sanguine adhuc propè calentem excepit, quæque ardore fidei ad confessionem promptissima, et fortissimorum martyrum coronis et triumphis celeberrima fuit, illa inquam, fidelium primitiæ, omnes omninò (Illyrici testimonio) eam de libero arbitrio fidem tuebantur, quæ ipse Illyricus cum Lutheranis cæteris oppugnat.

Neque solum prima illa ætas, verùm etiam posteriores omnes, (eiusdem Illyrici testimonio) doctrinam eamdem incredibili consensu tenuerunt. Id enim illa verba significant: Ut appareat in eiusmodi tenebris non tantum fuisse omnes eius seculi Doctores, verùm etiam in posterioribus eas subinde crevisse. Possem et alia, si per tempus liceret ex eadem historia testimonia decerpere: sed ad cæteros auctores festinat oratio.

Philippus Melanchthon in eo libro, quem de locis communibus primùm edidit. In hoc, inquit, loco, cum prorsus Christiana doctrina à philosophia et humana ratione dissentiat, tamen sensim irrepsit philosophia in Christianismum, quia receptum est impium de libero arbitrio dogma, et obscurata Christi beneficentia, per profanam illam, et animalem rationis nostræ sapientiam: usurpata est vox liberi arbitrij, à diuinis literis, à censu et iudicio spiritûs alienissima, qua videmus sanctos viros non rarò offensos esse; Additum est è Platonis Philosophiâ vocabulum, Rationis æquè perniciosum. Nam perinde atque his posterioribus Ecclesiæ temporibus, Aristotelem pro Christo sumus amplexi, ita statim post Ecclesiæ auspicia per Platonicam philosophiam Christiana doctrina labefactata est: ita factum est, ut præter canonicas Scripturas, nulla sint in Ecclesia sinceræ literæ. Redolet philosophiam quidquid omnino commenta-

rijs proditum est. Hæc ille, qui quidem, nescio an apertius poterat indicare, se bellum cum omnibus Ecclesiæ Patribus et Doctoribus gerendum suscepisse, et aliam omnino fidei doctrinam à se tradi, aliam esse eam, quam universa Christi Ecclesia iam inde ab Apostolicis temporibus didicerit semper et docuerit. Nec enim alia de causa nullas esse dicit in Ecclesiâ sinceras literas, et philosophiam redolere omnes veterum commentarios, nisi quia negare non poterat, omnibus omnium Patrum libris, commentarijs, historijs, concionibus, liberum arbitrium liberrimè atque apertissimè prædicari.

Iam verò Philippum secutus Ioannes Brentius in Apologia pro confessione sua Vuirtembergensi: Pater, inquit, è cœlis clamavit, non de Hieronymo, non de Augustino, non de Bernardo, non de Concilio Arausicano, sed de filio suo Domino nostro Iesu Christo, hunc audite. Quasi verò de sanctis Ecclesiæ Pastoribus et Doctori-

bus, quales imprimis Hieronymus, Augustinus, Bernardus, omnesque Arausicani Concilij Patres fuerunt, Christus ipse non dixerit, Qui vos audit, me audit.

Sed ad caetera progrediamur, et omissis alijs, quos nimis longum esset singulos recensere; Joannis Caluini testimonio, ac sententia contentissimus. Is liber 2. Instit. cap. 2. § 4. postquam Philosophos omnes incredibili consensione liberum arbitrium asseruisse professus esset, ita subiunxit: Tametsi Graeci prae alijs, atque inter eos singulariter Chrysostomus in extollenda humanae voluntatis facultate, modum excesserunt; veteres tamen omnes, excepto Augustino, sic in hac re aut variant, aut vacillant, aut perplexé loquuntur; ut certi feré nihil ex eorum scriptis referre liceat, qui postea sequuti sunt, dum pro se quisque in humanae naturae defensione argutiae laudem captat, sensim alij post alios in deterius continuo de-

lapsi sunt. Haec ille. Ex cuius verbis nemo vestrum (opinor) non facile colliget, propterea scriptores omnes (Augustino excepto) tam veteres, quam recentes, Calvino minus placere, quod sententiae ipsius de servo arbitrio nimis liberè adversentur. Alioqui quid sibi vult querimonia illa, quae paulò post in eodem libro sequitur? Nimis, inquit, philosophicè hac de re loquuti sunt, qui se Christi iactabant esse discipulos. Nam quasi adhuc integer staret homo, semper apud Latinos liberi arbitrij nomen extitit. Graecos verò non puduit multò arrogantius usurpare vocabu-
4 lum. Siquidem [illegible] dixerunt, ac si potestas sui ipsius apud homines fuisset.

Ac ne solum de nomine liberi arbitrij, sed etiam de re ipsa loqui eum existimetis, audite quid cap. 3. §. 14. dicat: Voluntatem, inquit, Deus movet, non qualiter multis seculis traditum est et creditum, ut nostrae postea sit electionis motioni aut obtemperare, aut re-

fragari: sed illam efficaciter efficiendo. Illud ergo toties à Chrysostomo repetitum repudiari necesse est, quem trahit, volentem trahi. Itaque non modò Caluini testimonio liberi arbitrij nomen in Ecclesia semper fuit, sed etiam dogma, et doctrina Chrysostomi ætate extabat, ac deinceps multis sæculis tradita, edita, propagata, confirmata est.

Sed à partibus suis Augustinum Caluinus habet, eiusque viri longè doctissimi patrocinio fretus, cæteros omnes meritò despicit. Omitto primum, quod etiam si B. Augustinus Caluino faueret, tamen neminem tam iniquum iudicem esse oportet, qui unum hominem quamuis doctissimum, omnium sæculorum Patribus et Doctoribus, totique Ecclesia, atque adeo orbis terræ consensui anteferret. Taceo deinde quod B. Augustinus in libro de gratia et libero arbitrio, cap. 2. clarissimis verbis Caluinum hæreticum

pronunciat, cum ait: Est igitur liberum arbitrium, quod quisquis esse negauerit, Catholicus non est. Id quod sexcentis alijs in locis repetit, ut suo loco palam faciemus. Nihil etiam dico, quod in eodem lib. Caluinus parum ingenue, ne dicam impudenter, ab illo ipso Augustino recedit, quem sibi solum ex omni vetustate patronum reliquerat. Sic enim ait cap. 3. §7. Sederunt fortè qui concedent voluntatem à bono suapte ingenio auersam, sola Domini virtute conuerti, sic tamen ut praeparata, suas deinde in agendo partes habeat. Quemadmodum docet Augustinus omne bonum opus gratiam praecedere, et id comitante, non ducente; pedissequa, non praeuia voluntate. Et paulò infrà, hanc ipsam B. Augustini sententiam refellens. Sed quia, inquit, reformata opus est Domini, hoc perperam homini tribuitur, quod gratia praeuenienti pedissequa voluntate obsequatur. Quid

clarius? et ubi nunc est illud, excepto Augustino? Ubi tua Caluina iactatio?

Sed his prætermissis, illud unum dicam, quod silere nullomodo possum, adeo parvo vero simplici testimonio B. Augustini confisum esse Caluinum, ut ausus non fuerit locum unum, eum quèdiu quæsitum, et ex omnibus selectum proferre, nisi multis fucatum coloribus, mendacijsquè bene suffultum, ac diligentissimè fraudibus obuolutum. Sic enim loquitur ad finem eiusdem cap. 3. Audiamus, inquit, nunc Augustinum suis verbis loquentem, ne ætatis nostræ Pelagiani, hoc est, Sorbonici sophistæ, totam vetustatem nobis aduersam more suo more criminentur. Libro de correptione et gratia ad Valentinum fusius exequitur, quod breuiter, eius tamen verbis referam, gratiam persistendi in bono, Adæ fuisse datam, si vellet: nobis dari, ut velimus, ac voluntate concupiscentiam superemus, Habuisse ergo illum posse si vellet, sed non velle ut posset: nobis et velle dari, et posse. Primam fuisse libertatem posse non peccare: nostram multò maiorem

non posse peccare. Atque de futura post immortalitatem perfectione loqui putetur (Siquti perperam Lombardus extrahit) scrupulum hunc paulò post exprimit. Tantum quippe, inquit, Spiritu Sancto accenditur voluntas sanctorum, ut ideo possint, quia sic volunt; ideo velint, quia Deus operatur ut sic velint. Hac ille.

Numerate mendacia. Primum, illa verba: Primam libertatem fuisse, posse non peccare, nostram esse multò maiorem non posse peccare, nusquam in toto Augustino, ne dum in eo libro, inueniuntur. At, si non verba, certé sententia inuenitur. Cur ergo dixiti: Audiamus nunc Augustinum suis verbis loquentem? cur addidisti, quod ille fusius, ego breuiter, eius tamen verbis referam? cur B. Augustini verba pollicitus, tua postmodum nobis obtrudis?

Quid? si nec sententiam inuenire demonstrauero? nonne S. Augustinus in libro suo de hæresibus, Iouiniano hæresiarchæ tribuit hanc sententiam,

homines iustos etiam in hac vita non posse peccare? nonne in libro de spiritu et litera extremo, atque alijs in locis passim docet, neminem esse tam iustum, qui non aliquando peccet? Quis igitur credat Augustino verba illa excidere potuisse, quæ Jouiniani sententiam continent quæque omnibus ferè libris eiusdem Augustini maximè repugnant? Atque hoc est mendacium primum.

Alterum deinde in illis verbis continetur, ubi Lombardum reprehendit, quod S. Augustini verba de secunda libertate perperam traxerit ad eam perfectionem quæ post hanc vitam erit. Ad quod mendacium refellendum ipsa per se B. Augustini verba sufficiunt. Hæc enim sunt vera Augustini verba: Prima libertas erat, posse non peccare; nouissima erit multò maior, non posse peccare. Prima immortalitas erat, posse non mori; nouissima erit multò maior, non posse mori. Prima erat perseuerantiæ potestas, bonum posse non deserere: nouissima erit felicitas perse-

rantia bonum, non posse deserere. Nunquid, quia erunt bona nouissima potiora, atque meliora, ideo fuerunt illa prima, vel parua, vel nulla? Ubi non ait Augustinus (ut vult Caluinus) nostra libertas est non posse peccare: sed nouissima libertas erit non posse peccare. Quò quæso pertinet illud, nouissima? quò illud, erit? nisi ad tempus futurum? et si (ut Augustinus dixit) illorum erit non posse peccare, quorum erit non posse mori; quis nisi insanus dicat, nostrum esse non posse peccare, qui non modo possumus mori, sed etiam non possumus non mori? denique si bonum non posse deserere, perseuerantiæ mercedem, atque ipsam felicitatem futuram Augustinus dicit; qua fronte, quo ore Caluinus illud ipsum ad huius vitæ breuissimæ, atque infelicissimæ statum trahere conatur.

Jam verò cum negat Caluinus vetustatem sibi aduersari, quod idem et in libro aduersus Pighium, et in præfatione Institutionis, et alibi pas-

sum repetit, non solum prodigè mentitur, sed etiam egregiè secum pugnat. Nam si veteris Ecclesiæ ea sententia fuit, quæ nunc Calvini est, ex necessitate omnia fieri, nullam esse libertatem, nullam contingentiam, quo pacto semper in Ecclesia liberi arbitrij nomen extitit? qui fieri potuit, ut veteres omnes (ne Augustino quidem excepto) nimis Philosophicè loquuti sint, atque in defensione humanæ mentis virium modum excesserunt?

Dicturi sunt fortasse, sententiam suam, sententiam Christi et Apostolorum esse, quorum literæ omnium Patrum commentarijs quemadmodum auctoritate, sic etiam antiquitate præstāt. At ego libenter ab eis vicissim quærerem, utrum tandem Christum et Apostolos arbitrentur Doctrinam suam prædicatione, et miraculis propagasse, an verò inutiliter, et sine ullo fructu rem egisse. Non erunt, opinor, tam ingrati, ut Christum et Apostolos, atque ipsum etiā Spiritum Sanctum, qui per ipsorum linguas loque-

batur, tanto tempore, tot concionibus, tot signis et prodigijs nihil egisse dicant.

Quod si doctrinam suam Christus et Apostoli, ut res est, plurimis hominibus persuaserunt, et longè, lateque ad fines usque orbis terræ propagarunt; eaque doctrina ita Philosophorum placitis, aduersatur, ut liberum arbitrium (ut Caluinus dicit) tanquam impium quoddam figmentum penitus tollat, ac destruat; cur obsecro semper in Ecclesia, ut idem ait Caluinus, liberi arbitrij nomen extitit? cur nomen serui arbitrij ante Lutheri tempora nunquam est auditum? cur illi omnes Patres et Doctores, qui Apostolis proximè successerunt, quemadmodum ex Centurijs Illyrici iamdidicimus, liberum arbitrium, et non seruum potius docuerunt? cur statim post Ecclesiæ auspicia (ut Philippus loquitur) libertas arbitrij iuxta sententiam Philosophorum prædicari cœpta est? quo cemento, quæso, quo glutino poterunt sententiæ istæ ita coniungi, ut aliquo modo inter se cohære-

ant? Christus et Apostoli, populis, gentibus, nationibus, orbi terrarum universo, nullum esse in homine liberum arbitrium persuaserunt: tamen nemo unquam id credidit, semper in Ecclesia liberi arbitrij + modum expresserunt: philosophiam redolet quidquid omnino commentarijs proditum est.

Quamobrem nemini dubium esse tamdebet, quin huius temporis haeretici, dum contra liberum arbitrium tam audacter disputant, eam doctrinam in Ecclesiam inuehant, quam ipsimet intelligunt, et confitentur omnibus veteribus Patribus, toti antiquae Ecclesiae, orbi terrarum universo, omnium gentium sensui et consensui repugnare.

Quod quidem eiusmodi est, ut ego dum in eorum libris verba ipsorum paulo attentius lego, ita vehementer admirer, ut vix oculis meis credam. Quis enim non obstupescat? quis credat existere potuisse homines tam pro-

+ nomen extitit; veteres omnes in defensione liberi arbitrij

iect[illegible] audaciâ, tam incredibilis superbiâ, tam insolentis arrogantiâ, ut se Doctoribus omnium gentium, et omnium seculorum, Graecis, Latinis, sacris, profanis, veteribus, recentioribus anteponant? et qui post mille, et quingentos annos dicant, nulla sunt in Ecclesiâ sincera litera: omnes Patres erraverunt; nos soli sapimus; nos soli videmus; caeteri hallucinantur, et delirant universi?

Quae cum ita sint, nulla sanè fides, eiusmodi monstris tam absurdè delirantibus debetur: praesertim si illud addamus, doctrinam de servo arbitrio primum locum inter adversariorum dogmata obtinere. Sic enim loquitur Lutherus in assertione articuli 36. qui est de arbitrij libertate; In caeteris, inquit, articulis de Papatu, Concilijs indulgentijs, alijsque non necessarijs nugis, ferenda est levitas et stultitia Papae et suorum: sed in hoc articulo, qui omnium optimus, et rerum nostrarum summa est, dolendum, ac flendum est, miseros sic insanire. Hoc nimirum addendum superat ad

cumuly furoris, ut non solum ipsi furerent, sed etiam eos omnes, qui non pariter furunt, insanire arbitrarentur.

Sed profectò sim eo articulo, qui ipsorum iudicio omnium optimus, et rerum Lutheranarum summa est; adeò manifestè, vehementerque delirant, ut nullam omnino fidem, nisi fortè ab ijs, qui pariter insaniant, mereantur: multò certè minus in rebus cæteris ulla eis fides ab hominibus sanis et sobrijs haberi deberet.

Quia tamen iustissimo Dei iudicio, peccata hominum castigante, ac puniente, non defuerunt, nec desunt permulti, à quibus nova ista hæreticorum dogmata, licet absurda et incredibilia sint, avidissimè tamen excipiantur et probentur: nostræ partes erunt, totum hunc locum diligentissimè pertractare, et tam in statuenda et confirmanda veritate, quàm in evertendis, ac refutandis erroribus contrarijs operam, laborem, vigilantiam quantam maximam poterimus collocare: quod effecturum me omnino confido, si Dei primùm benignitate, ac favore, deinde etiam vestra alacritate, et studijs ~~adiuvabor~~ adjuvabor.

Finis.

